H.A.f.2.
180



Ex Bibliotheca
Collegii Evangelici,
Aug. Vindel.

L. M. Steinberger Sculps. A.V.





NOTITIA REI NVMMARIAE,

Ad

Erudiendos eos,

Qui

NVMMORVM VETERVM

&

MODERNORVM

intelligentiam ſtudere incipiunt;

EIGENTHUM DES COLLEGIUMS ST. ANNA IN AUGSBURG



aut.: Jobertus

LIPSIÆ,

APUD J. THOMAM FRITSCH.

cIↄ Iↄc XCV.

LECTORI BIBLIOPOLA.

Romana veſte indutum TIBI nunc ſiſtimus, quem Gallica exornatum publicæ ante hoc biennium denuo expoſuit luci, libellum, de Notitia Rei Nummariæ, *celebris apud ſuos Vir, P. JOBERTVS, è Societate Jeſu.*

Is igitur, cum proſpera fata utique hactenus habeat, inque manibus plurimorum verſetur inſigni cum fructu, magnique ab his etiam, qui primas in rei nummariæ ſtudio tenere cenſendi ſunt, fiat, ut latino ſermone donaretur, bono conſilio eſt factum; ſiquidem cum inter doctrinæ elegantioris partes ea quoque merito ſuo referatur, quæ nummis antiquis perinde ac modernis intelligendis explicandisque eſt occupata, nemo autem, ſi a Carolo Patino *diſcedas, præcepta ejus tradiderit plana ſatis ac perſpicua, at vero JOBERTVS in id cumprimis operam omnem navaſſe viſus ſit, ut non tam copia quam concinnitate præceptionum ſeu regularum curioſitati eorum proſpice-*

retur, qui nummos cupiunt tractare, ſive modo ut iis animum oblectent, ſive ut uſum eorundem reliquis quoque diſciplinis rectius adhibere poſſint; operæ pretium feciſſe videbor, quam illi, in gratiam cumprimis eorum, qui gallicam linguam non ſatis callent, vertendo patet fuiſſe impenſam. Qui vero, qui transferendi in ſe partes ſuſcepit, non id ſpectaverit, ut elegantia ſtyli magis quam dictorum claritate labor ſuus commendaretur, & ut quilibet, cui vel mediocris eſſet doctrina, de mente Auctoris ſecurg eſſe poſſet; inde ille, ubi opg fuit, voces quasdam obſcuriores fecit quidem latinas, ſed gallicas tamen adpoſuit ſimul, quo hæſitationi nullus ultra locus relinqueretur. Erat quidem etiam antea animus, notulis atque nummorum aliquot iconibus faciliora adhuc intellectu reddere præcepta ab Auctore tradita: Verum ut hanc mutaremus ſententiam cauſæ ſuaſerunt non unæ. Vale, & conatibus noſtris perge favere.

AD

AD LECTOREM AVCTORIS PRÆFAMEN.

NOn eſt nunc animus, prolixius occupari calamum in exornanda laudibus nummariæ rei ſcientia, neque igitur recenſebo utilitatum, quæ inde redundant, longam ſeriem. Id eſſet enim non niſi ea repetere, quæ toties atque a primi etiam ordinis in hoc ſtudiorum genere viris dicta ſunt. Hoc affirmabo ſolum, eam non minori jure ſibi vendicare elegantiorum hominum æſtimationem, quam Hiſtoria, quæ ſane ſolido magis veritatis ſuæ fundamento vix nititur, quam nummorum evidentia monumentisque. Iſta tamen ſcientia, quæ hiſtoriam certiſſimis teſtimoniis firmam reddit, plurimis obruta eſt laboribus atque difficultatibus, quas inter minima non eſt, quod nummorum periti æque atque mercatores quidam cognitione quam ex illis hauſerunt abutantur ad fallendam recens curioſorum fidem, iidemque omni honeſti ratione ſusque deque habita infinitas excogitent artes & fraudes, ut ex ſtudio delectabili non minus quam ſincero ſibi ſolis faciant

utile atque fallax negotium. Hæc animo mecum volvens non potui concedere, ut omnium curioſitatum nobiliſſimæ tanta fieret injuria, & cum in libris editis rariora ſint præcepta fraudes detegentia, operam dedi, ut præſens libellus contineret quicquid & ſtudium me docuit & magiſtra rerum experientia. Idque nunc permittam adeo prodire in publicum, eorum cumprimis commodo inſerviturus, qui primæ tantum ejus ſcientiæ rudimenta ſibi cupiunt propius perſpecta. Invenient illi media ſimul evitandarum fraudium, & acquirendæ ex adverſo diſcretionis, opera non omnino difficili moleſtave. Ea vero eſt cauſa, quam ob duodecim iſthæc quæ nunc ſequntur capita concinnarim.

NOTITIA
REI NVMMARIAE.

PRAECEPTIO I.

De

Nummorum ætate, ac de tempore, quod raritatem ſimul eorundem arguit & pretium auget.

SI cum ſcientiis perinde foret comparatum ac cum nobilitate, quæ primam ſui gloriam ex antiquitate ultima petit, Nummorum ſcientia palmam reliquis factura eſſet omnino dubiam; dum ſate videnter oſtendi fortaſſis poſſet auctoritate Codicis ſacri, uſum metallorum in humanæ gentis commoda proxime ætatem mundi ipſius primam accedere.

Non ita facile tamen patimur nos perſvaderi, monetam cuſam ſignatamque inventum eſſe Tubal-Cainis, quod asſeverat quidem Villalpandus, absque illo ratus non vindicari poſſe ſatis ea, quæ de ipſo in Creationum libro dicta ſunt, quippe *quod fuerit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri.*

Eſt autem probabile, commercia ſocietatemque humanam ſuſtentata fuiſſe per ſecula plurima ſimplici rerum cuivis neceſſariarum permutatione, & difficultatem cudendi metalla obſtitiſſe diu, quominus adhiberetur moneta; quandoquidē nec hodie, noſtraque adeo memoria, deſunt gentes integræ, apud quas nullus omnino monetæ ex metallis confectæ uſus invaluit; & illi etiam, qui eam uſurparunt populi, diu ante tamen ponderibus appenderunt ſummas, quam docerentur figuris inſignire monetam, cujus pretium ex ſolo hominum arbitrio ſtatutum deinde fuit, atque ex commodo ejusdem in partes minutiores ea diſtincta.

Quidam affirmaverunt, Moyſen pri-

primum inveniſſe cudendæ monetæ artem, ipſumque etiam induxiſſe ejus uſum. Quin & alii ex ipſis ſanctiſſimi Viri verbis evincere ſunt anniſi, quod inde usque ab Abrahami tempore uſus monetæ extiterit in regione Canaan; quippe qui in ſermone ſuo, dum de ſepulcro, cui uxor ibi defuncta inferretur, tractat, pecuniæ ſiclorumque nominatim injiciat mentionem, quorũ appellatio notior eſt facta deinceps, ex quo certum monetæ genus apud Ebræos ita cœpit vocari. Id omne vero curioſum eſt magis, quam neceſſarium inſtruendo homini, qui incipit amore in rem nummariam ferri, & qui præter eorum cognitionem nihil adhuc quidquam quærit.

Sufficit igitur ad notitiam ætatis nummorum, de qua nunc eſt nobis ſermo, addiſcendam, ut quis ſciat, nummorum ſpecies eſſe duas, ANTIQVORVM videlicet & MODERNORVM. Eſt enim ea prima totius artis notio, abs qua dependet æſtimatio pretiumque nummorum. ANTIQVI ſunt illi cumprimis omnes, qui

 ad

ad ſeculum usque tertium aut nonum a nato Salvatore fuerunt cuſi. MODERNORVM vero nomine veniunt omnes illi, qui facti ſunt ante hæc ſecula quaſi tria. Hi enim, quos a Carolo M. usque ad noſtra tempora reperire licet paſſim, vix habentur tanti ab eruditis, quibus colligendis inſumant operam; præter hos forte, qui ſeriem Imperatorum Græcorum finiunt, & de quibus id prædicari poteſt, quod quidã ex curioſis noſtræ gentis conſvevit dicere, eos conſtituere medium quoddam ſordidum ſive intervallum vile inter nummos antiquos ac modernos, quando nec oculis nec menti ex intuitu eorundem accedit aliqua delectatio. Vt adeo non opus ſit antiquam nummorum ætatem ultra Theodoſium & ſeculi quarti finem protendere.

Antiquos inter, qui Muſea ornant, ſunt GRAECI & LATINI. Græci primas omnium tenent, quandoquidem diu ante conditam Romam Reges Vrbesque Græciæ elegantiſſimam conflavere monetam, ex ſingulis tri-

bus

bus metallorum generibus, & tanto quidem artificio, ut vix nummis iis, qui in florentiſſimo etiam Reipublicæ Imperiique ſtatu fuerunt facti, debeant æquiparari. Fieri eius rei poteſt judicium ex nummis maximi moduli, (*Medaillons*) qui nobis reſidui ſunt. Verum mea ſententia Vrbium nummi longe antiquiores ſunt cæteris, tametſi non omnes appareant æque elegantes aut pretioſi. Et oportet ut fatear, quod, generatim dicendo, quoad figuras, nummi Græci delineationum præ ſe ferant induſtriam & proportionum miram quandam elegantiam, ac neſcio demum quid delicati, ad ipſos exprimendos muſculos etiam venulasque, quodque cælatura extantiori (*par un tres-grand relief*) multum exſuperent Romanos.

De peregrinis nummis ediſſeram vice alia, qui novum & alium ordinem antiquos inter & modernos ducunt, quales ſunt forte Ebraici, Punici, Arabici, ac reliqui demum, quos variæ gentes curarunt conflari ſua ſingulæ vernacula. Eorum qui æta-

tem arguant antiquam, non admodum dantur multi, recentiores vero paſſim ſunt noti.

Antiqui nummi latini. Conſulares. Procul dubio ex Latinis antiquitate præcedunt Conſulares, ſiquidem illo, quo penes Reges rerum ſumma fuit, tempore, fere neſciebatur, quid eſſet monetam cudere, ex auro cumprimis argentoque; ita ut ſeries familiarum primum antiquitatis honorem inter Romanorum nummos obtineat.

Imperatorum nummi. Imperatorum nummi ad rationem Imperii veteris, quod SVPERIVS, & declinantis, quod INFERIVS vulgo vocant, diſtinguuntur. Ac tametſi nummi omnes Imperatorum ad Palæologum usque pro antiquis ex recepta ſententia habeantur, quin illi etiam, quorum ætas in Seculum fere XV incidit: curioſi tamen ſolum nummos Superioris Imperii magni faciunt, cujus finem ex ipſorum ſententia fecerunt XXX Tyranni, initium vero vel ab Julio Cæſare peti debet, vel ab Auguſto, & inde adeo, ad calculi ſupputatio-

tionem, ab Anno DCC. V. C. & LIV. ante N. C. usque ad CIↃ X. V. C. & a C. N. circiter CCLX.

Inferius ſive declinans Imperium fere CIↃ CC. annos in ſe comprehendit, ſi quis velit ad Imperii CPlitani interitum, qui annum circiter CIↃ CCCCL, quo Turcæ occuparunt urbem, contigit, deſcendere; poſtquam nullum niſi Occidentale Imperium in toto, qua patet, Chriſtiano Orbe quaſi notum erat. Illius proinde duæ diſtinctæque ab invicem ſunt ætates: prima videlicet ab Aureliano aut Claudio Gothico usque ad Anaſtaſium, idque adeo ultra CC annos; altera ab Anaſtaſio ad Palæologos, plurium quam mille annorum ſeriem complexa. *Imperium Græcum.*

Omne id vero, quod præter Romanorum nummos tribus proximis abhinc ſeculis extat, appellatur curioſorum vernacula MODERNUM, cujuscunque demum ſit illud gentis, ornatque Muſea eorum, qui antiquitatis nullam habent rationem. Poſtquam enim exemplo Regis (*Gal-* *Nummi moderni.*

liarum intellige) excitati privati quoque plurimi cœperunt colligere iſtud nummorum genus, ſtudium ejus rei tanto eſt amœnius factum, quanto magis nobis conducit, dum noſtram memoriam propius illi accedunt, noſtrorumque temporum imaginem vivam quaſi repræſentant. Poteſt itaque magnus iniri numerus ſequelarum & monſtrari, invicem ſibi ſucceſſerint Papæ, Imperatores ac Reges, Principes etiam, Vrbesque, & perſonæ demum privatæ; quippe dum locus ſimul conceditur abaculis auctoritate publica percuſſis, (*Iettons*) non eſt fere eventus ſingularis, quem ibi non liceat reperire; poſtquam cumprimis hoc ſeculo publicorum monumentorum gloria cœpit amari, & quia creditum eſt, convenire gratitudini civium æque ac Principum honori, memoriam rerum cum laude geſtarum eventuumque ſingularium tradere poſteris.

Uſus modernorum. Abbatis *Bizoti* oportet ut habeat doctrinam, ſi quis auſit etiam magiſtris in hac arte dare

ex

ex quo diſcant; eſt enim ille fere nunc ſolus, qui perfectam habet recentioris nummariæ rei intelligentiam, quando manibus præſtantiſſima hujus generis tractavit ipſe, & vix quisquam eſt, qui nummos ſcite magis ac magis etiam facile ſvaviterque poſſit interpretari.

Edocebo tamen & ego recens-curioſos uſum modernorum numiſmatum, quæ non minus ſunt utilia grataque oculis, quam facilia explicatu, ſi modo quis in hiſtoria non plane ſit hoſpes. Illi enim nummi ex arbitrio facti imagines exhibent non habendas inſuper. Apparent quippe in iis prælia terra mariq; decertata, urbium obſidiones, pompæ introitusq; & conſecrationes Principum, funerum ſolemnia, fœdera, connubia, familiæ, & univerſim id omne, quod & politiam concernit & religionem. Notatæ ſunt inſimul tantum non ſemper Epochæ; neque, ut in antiquis, inania merita deprehenduntur ornata honoribus, quin & nullus tandem obnoxius eſt fraudi, cujus in vetuſtos ſæpe cadit

ſuſpicio, cum in promtu ſit diſcrimen fuſos inter & cuſos (*les moulées d'avec celles qve l'on a frappées*) neque quisquam hactenus adulterandis modernis, ſpe lucri forſan inductus, dederit adeo operam.

Papæ. Series Pontificum fieri poteſt plurimam partem ex argenteis nummis æneisque, neque tamen ita vere a Petro usque ad noſtram ætatem, verum ſaltem inde ante hos CCL annos, atque a Martino V. circiter annum CIↃCCCCXXX. Ab hoc enim usque ad Alexandrum VIII. nullus extitit Papa, cujus non haberentur numiſmata, fuſa non minus quam excuſa, numero quaſi ſexcentorum; id quod ex libro *Rev. P. du Molinet* clariſſime patet, qui ære cælari fecit omnes, quotquot modo oculis uſurpavit ipſe, juncta ſingulis explicatione brevi.

Cauſas habet idem, ob quas affirmet, ante tempus a me modo indigitatum nullum reperiri numiſma durante ipſorum Pontificatu cuſum, verum plurima tamen reſtituta. Id

enim

enim eſt certum, quod typi ſcutarii ſive matrices nummorum (*les coins des medailles*) Martini V. aliorumque ad Julium usque II. factæ fuerint Alexandro VII. Pontifice cura Abbatis *Bizot*, ſuſtentati favore & ope Cardinalis Franciſci Barberini, quippe qui ingentem eorum numerum curavit refici, pluribus ſuam operam allaturus, niſi mors Papæ poſuiſſet moras propoſito, quod ceperat; delineandi ſeriem Pontificum, quorum capita ſpes erat reperire, imaginum, ſepulcrorum ac ſigillorum monumentorumque ejuſcemodi plurium beneficio. Cum ex adverſo hodie illa inſtitui nequeat, niſi ex Bullarum intuitu, in quibus tamen non Pontificum vultus, ſed Petri Paulique eſt videre.

Sixtus IV. primus omnium thoracem ſuam (*ſon buſte*) monetæ juſſit inſculpi addito vocum pari, VTILITATI PVBLICAE: in memoriam ſcilicet cœptarum lapidibus ſterni Romæ viarum. Inde poſſet incipi ordo non mancus a ſeculo usque octavo.

Quod Eugenium IV. attinet ex auro factum, durante Florentino Concilio, non eſt ille niſi moneta in Gazophylacio Regis reperiundus. Non obſtante eo tamen, quod jam diſſerui, oportet ut fatear, propoſitum reſtituendorum Pontificalium nummorum a S. Petro usque ſuſceptum jam eſſe a nonnemine & fortaſſis etiam perfectum, ſed ſolum per nummos fuſos, quorum mihimet ipſi ex ſeculis omnibus non levis copia eſt, ac eorum cumprimis, in quibus duæ vel tres partium averſarum ſpecies reperiuntur. Videre enim licet in quibusdam ingentes duas claves ſurſum erectas, *(en pal)*, addito: *Claves regni cœlorum;* in aliis imaginem Petri mi-noresque duas claves in forma crucis Andreanæ, quam vocant *(en ſaultoir)* eademque verba; & in aliis iterum eadem juncta Veronicæ ſive imagini ſanctæ *(avec une Veronique)* aut aliis figuris.

Nummi in Papas inſulſe ficti. Non eſt alienum ab hoc loco monere, confundendos non eſſe cum genuinis Pontificum

ficum nummis illos, quos ſanctæ Sedis hoſtes,ut vel inſultarent ei odiumve conciliarent,confinxere. Eſt talibus annumerandus iſte Julii III. cui hæc leguntur inſculpta verba: *Gens & Regnum,quod non ſervierit tibi,peribit;* & iſte Pauli III. cum vocibus: ΦΕΡΝΗΖΗΝΟϹ ΕΥΦΡΑΙΝΕΙ. quos non decet genuinis immiſcere. Tales ſunt demum etiam ridiculi aliquot nummi, quos ego arbitror vel in Germania vel apud Batavos aut Genevæ fuſos; quorum quidam caput referunt Papæ junctum faciei Dæmonis, & ex altera parte Cardinalis caput ſtulto ſociatum. Neque eſt minus inopportuna inſcriptio, & hinc quidem: *Joh. Calvinus Hæreſiarcha peſſimus;* illinc vero: *Et ſtulti aliquando ſapite.* Quæ enim ſodes eruditio talibus ineſt, aut quid habent ſapidi?

Aliud poſſideo numiſma inconcinnum, in quo caput Papæ junctum eſt capiti Imperatoris, & in averſa parte juncta ſunt capita Epiſcopi &

Car-

Cardinalis, additis verbis: *Theodoſius Imperator & Cœleſtinus Pontifex:* parte autem averſa multum detrita, hæc tantum leguntur: *Epiſcopus anno* CCCCXXIII. Quis divinabit autem quid ſibi velint conjunctiones ejusmodi ridiculæ? Vix dignas judicaſſem de quibus loquerer, niſi accideret, ſubinde ad manus juvenum curioſorum inventa talia pervenire, qui deinceps inutili opera ſenſum eorum anxie inveſtigant, quaſi ille dari poſſet male ſanis quorundam meditamentis.

In promtu quoque foret augere Pontificum ſeriem, Cardinalium, Epiſcoporum Eccleſiaſticorumque nummis.

Imperatores. Poſt hanc vero alia Imperatorum Occidentalium poſſet inſtitui omnibus utique numeris abſoluta nummorum ſeries, & inde a Carolo M., ſi quis vellet iisdem jungere monetas. Octavianus Strada dedit jam ejus quoddam ſpecimen, deducto ſuo opere a Julio Cæſare usque ad Imperatorem Matthiam, utpote quo imperante ſuo ipſe finem impoſuit

libro

libro. Turpiter autem continget eum falli, qui omnino auctori huic confidit, quandoquidem magna nummorum pars, quos ille affert, vel falſi ſunt, vel inventi, ad explendam videlicet ſeriem, vel ad eorum exemplar effićti, quos Maximilianus curaverat cudi ad extollendam altius Auſtriacam domum.

Proprie igitur loquendo initium niſi a Friderico II. atque ſic anno 1463. fieri non poteſt, qui nummo inſculpſerat ſuum in urbem Romam introitum; poſt quem Imperatorem difficile eſt ultra triginta nummos comparare, exceptis Hiſpanorum Regum nummis, quorum ſeries tantum a Philippo I. Hiſp. Rege, & Auſtriæ Archiduce, Patre Caroli V. debet incipi.

Reges Galliæ.

Series Regum Galliæ numeroſiſſima omnium eſt & conſiderabilis maxime inter modernos, veluti etiam Regnum ipſum antiquiſſimum eſt ac nobilius reliquis. Oportet autem ut, quoad priora duo Regum ſtemmata, contenti ſimus

mus monetis, quas uno libro *Dn. Bouteroüe* eleganter eſt complexus, in quo ille curavit ingentem eorum numerum delineari; tertio vero repe-riuntur non tantum monetæ, verum & nummi aliquot majores. Non morabimur diu in explicatione nummi Carolo M. attributi, cum inſcriptione: *Renovatio Regni Franciæ*, quem probabile eſt deſumtum eſſe ex plumbo, ſigillis Caroli alicuiꝰ poſterioris accommodato. Bizotus contendit, nullũ ante Caroli VII. tempora eſſe cuſum, qui Principis imaginem repræſentaret, quodque primum viſus cum illa ſit unus ab urbe Lugdunenſi in honorem Caroli VIII. & Annæ Britannicæ factus anno 1494. In eo tamen verſatur gloria gentis, quod ea inde a XII ſeculis retro & a Clodoveo usque demonſtrare valeat ſucceſſiones Monarcharum ſuorum non interruptas, quale quid nullum unquam vidit Regnum. Ill. Dn. *de Harlay* Primarius hodie Parlamenti Præſes ſtudio ſingulari omnes collegit, perjucundeque ac libenter iis auxit Theſaurum regium,

gium, ſvetus gloriæ Auguſtiſſimi ſui Principis ſe & omne quicquid præterea poſſidet, conſecrare. Plus non licet ſperare in hoc curioſitatis genere. Ut enim quis illos expetere vellet cunctos, qui deſcripti apparent in libro cui Titulus: FRANCE METALLIQUE, id eſt, Gallia numiſmatica; fruſtra eſſet inſumta opera, cum efficti ſint plurimi ex ingenio & velut ad delectationem, usque ad Carolum M. inde etiam plures adhuc invenerunt Jacobus Biæus & ſocius ipſius *du Val.*

Longe maiori exornandum eſt laude ſtudium colligendi nummos LVDOVICI MAGNI, ad concinnandã Hiſtoriam Ejus partibus ſingulis abſolutam. Adeo enim peculiare prorſus eſt Ipſius imperium, & deprehenditur in eo continua miraculorum quaſi quædam concatenatio, ut adſit ideo non exiguus eorum numerus, quorum imagines non ita ſtatim ſera credet poſteritas extitiſſe, quas niſi cum admiratione non licet intelligi explicarique. R. P. *Vita Ludovici magni.*

 Mené-

Hiſtoria Meneſtrieri. *Meneſtrier* Jeſuita ex amplitudine doctrinæ famam adeptus & ex humanitate ſua, qua omnibus patet, exque tandem operibus curioſis admodum, queis pergit indies donare orbem eruditum, beneficio æternantium iſtiusmodi monumentorum Vitam deſcripſit Magni Regis, juncta ſingulis enarratione ſuccincta, à ſtupenda eius nativitate usque ad altiſſimum, quo collocarunt Ipſum res nuper geſtæ, gloriæ culmen.

Muſeum Dni de Seignelay. Abbas *Bizot*, cujus jam facta mentio, ex iisdem collectionem adornavit curioſiſſimam omnium & prorſus magnificam, qui componebant Muſei Illuſtriſſ. Colberti Marchionis de Seignelay partem; eaq; ultra tria millia in ſe complectebatur. Ordo quem tenuit, auxit pretia fecitq; lectoribus ſatis. Licet quippe non Reges ſolum noſtros ſed & Principes regios (*les Princes du ſang*) Cardinalesque & Epiſcopos, Coronæque, quos vocant, Officiales, Cancellarios demum ac Magiſtratus & juſtitiæ adminiſtratores, poſtque iſtos omnes tan-

tandem etiam illuſtres artibus doctrinaque Viros intueri. Perjucundum præterea eſt videre ibi regnorum ſtatuumque externorum ordinem, quorum partem omnino eximiam repræſentat *Belgii Hiſtoria ex nummis*, cujus libri autor non poteſt non meruiſſe laudem, dum & optime concinnavit & feliciter exſeqvutus eſt cœptum opus.

Ex his haud difficile eſt judicatu, quanti debeant haberi ſeries & enarrationes perſonarũ ſeu genere ingeniisve aut officiis rebusque geſtis illuſtrium, cum paucisſimi ſint, quorum memoria a duobus hinc ſeculis non ſit ab oblivione nummis aliquot aut ad minimum abaculis (*jettons*) conſervata, qui & ipſi delectant eos, quib9 moderni ſunt in deliciis. *Dn. de Ganiere* ultra tria talium millia collegit a Philippo VI. Valeſio usque, qui regnare cœpit Anno 1328. Hunc ego arbitror in hoc genere curioſorum omnium ditiſſimum; verum & meritis abundat ille, quæ efficiunt ut

Nummi Virorum illuſtrium.

Abaculi Dn. de Ganiere.

ametur a cunctis, quibus contigit ipſum propius cognoviſſe.

PRAECEPTIO II.

De

Variis metallis, ex quibus conflati ſunt nummi.

PRetium nummis ut ex materia ſola accedat, ſane non oportet, dum ſæpe aureus reperitur paſſim, rariſſimus contra idem ex ære factus; atque iterum plurimum æſtimati alii ex auro, longe minoris ex ære argentove. In exemplum ſit *Otto Latinus*, qui ex majori ære (*de grand bronze*) plane inæſtimabilis eſt, cum aureus non valeat niſi tres aut quatuor aureos ſive Dupliones Hiſpanicos (*Piſtoles* ſive *Doublons d' Eſpagne*) ſupra pondus ſuum, quod tredecim circiter libras Gallicas (*francs*) exæquat. Idem Otto argenteus tantum valet 40. aut 50. ſolidos (*ſouls*) ſupra pondus, niſi forte ut exhibeat aliquid non vulgare ex parte averſa (*revers*)

quod

quod pretium addat. Quod ſi cui contingeret eſſe tam felici,ut inveniret aliquando primæ monetæ exempla, qua homines uſi ex Corio ſignato, qualem diſtribuit populo Romano Numa Rex, appellatam ab Hiſtoricis *aſſes ſcortei*, potior eidem deberetur in Muſeis curioſorum locus.

Non conducit negligere metallorum antiquorum notitiam ſaltem, ideo,ne quis fallatur, & ut ſciat, quid ordinem diſtinctum ſeriesvè efficiat, (*ce qui forme les differentes ſuites*) ubi metalla nunquam debent invicem commiſceri,niſi quod,ut ſeries argenteorum fiat amplior & perfecta magis,ſæpe etiam collocari ſoleant ad illorum latus certa capita aurea, quæ ex argento facta non dantur. Id enim appellant ditare ſeriem. (*enrichir une ſuite.*)

Extant proinde aurei nummi ſive ſint ex puro defæcatoque auro, noſtrumque ſuperante: ſive ex miſto pallidoque, quales tempore Alexandri Severi, permittentis quintam additamenti ad quatuor partes, *Nummi aurei.*

 fue-

fuerunt cuſi; ſive demum ex auro valde (*notablemont*) adulterato, quale in Gothicis quibusdam apparet. Sed ea conceſſio non obſtitit tamen, quo minus ex auro æque puro conficerentur nummi Severi & Principum etiam in Imperio Orientali ſubſequutorum, quam fuit tempore Auguſti, æſtimatione ſeu nota (*titre*) tantum in Gothicis alterata.

Aurum veterum Græciæ nummorum puriſſimum eſt, quod vel ex nummis Philippi Macedonis & Alexandri M. patet, qui pondus 23. Caratorum & 16. Granorum (*Karats & Grains*) exæquant, judice Patino famoſiſſimo ſeculi noſtri Antiquario; cui æternas debemus gratias, quod nummariæ rei dignitatem expoſuit doctis, facilemque reddidit, peregregiis operibus myſteria eius repandendo.

Aurum Imperii ſuperioris non minus eſt nitidum, eiusdemque cum Græcis conflaturæ (*alloy*) notæque adeo ſelectiſſimæ. Nam dilutores metallorum præferunt illud auro Zechinorum ducatorumque; quin & Bo-

dini

dini tempore aurifabri Pariſienſes cum liquefeciſſent aureum Veſpaſianum, tantum 788. deteriorationis partem, quod additamentum eſt, deprehenderunt.

Oportet ut ſciamus, quod Romani uſurpaverint monetam auream demum Anno 546. V. C. nequis inducatur in fraudem ab illis, qui ante ea tempora ſæpe occurrunt facti. Quod ſi enim invenire contingit unum Regum Romanorum Conſulumque priorum ex auro, videre, ſtatim, ac tametſi aliud argumentum deſit, concludi poteſt recte, eum eſſe falſum.

Uſus nummorum ex argento Anno 484. V. C. cœpit. Plures dantur quam aureorum, ſed argentum tamen non eſt ita purum, antiquorum cumprimis, usque ad Septimii Severi ætatem. Curioſi enim ex liquefactione (*fonte*) obſervarunt, nummos a Romanis ex auro coque puro, ſed ex argento infra monetæ etiam noſtræ pretium fuiſſe cuſos; quandoquidem optimi, etiam Conſulum tempore facti pluris ex *marca* *Nummi argentei.*

non valeant, quam xxv. libras Gallicas, ultra xxx valituri ſi purum ſit argentum. Verum appellatur tamen illud purum usque ad Septimium Severum, reſpectu ad eos habito, qui ad Conſtantinum usque reperiuntur ex argento tenui mixtoque confecti. Vocant illud vulgo *Potin*, deprehendendum inde ab initiis ſuperioris Imperii. In aſſertionis hujus fidem eſſe poſſunt quidam Neronis ſimilesque.

Nummi ex metallo mixto. Dantur præterea nummi ex metallo mixto (*billon*), quibus propemodum nihil ineſt argenti, veluti poſt Galienum, non ideo tamen, quaſi eo tempore invaluerit argenti annona, (contrarium enim patet usque ad Theodoſii ætatem, & amplius:) Sed quod a Galieni tempore maior extiterit metalli mixti quam argenti puri copia.

Nummi tincti. Habentur etiam tincti ſeu obliniti (*ſaucées*), aut ut evidentius loquar, cuprei primum ac dein deargentati, iique utplurimum inde a Poſthumis; & illi etiam, quos

qui-

quidam curarunt data opera confici, ut integra eſſet ſeries facierum; quorum exempla argentea vix licet invenire.

Tandem etiam ſunt nummi cuprei quidem ſed argentea lumina tam arcte incruſtati, (*fourrées*) ut dignoſci non queant niſi per ſciſſuram. Adulteratæ illud monetæ genus eſt, quod poſt Triumviratum Auguſti cœpit, infallibilis index antiquitatis nummi æque ac raritatis, quandoquidem ut affirmat *Marellius* (de quo in iſthoc libello honorifica deinceps fiet mentio data occaſione,) fraude patefacta formæ fuerunt confractæ, & hoc monetæ genus per edicta publica vetitum. *Nummi Subærati.*

Omne cuprum in diſtinguenda nummorum in Muſeis ſerie AERIS nomine venit. Fit tamen & hujus diſcrimen ab accurate loquentibus, velut fecit *Savot.* P. II. cap. 17.

Plures enim nummi occurrunt ex cupro rubro poſt Auguſti ætatem, & illos inter cumprimis quos appellant *æs medium.* *Nummi ex cupro aut orichalco.*

 Oc-

Occurrunt etiam alii ex fulvo ære (*orichalco*) poſt eadem tempora, inter æs maius æque ac medium.

Qui ex genuino ære ſunt facti, non poteſt dici quam gratum reddant ſui adſpectum.

ex Corinthio ære. Rurſus alii exiſtimati ex cupro Corinthiaco, quæ mixtio eſt auri argentique & cupri. Nomen accepit illud inde, quod, cum expugnata vi urbs Corinthus libidini militum relinqueretur, ex igne tectis iniecto metalla paſſim defluentia mixta fuerint invicem, ſic ut iſta mixtio retinuerit appellationem ex Vrbe direpta. Idem nitor eſt & pretium idem, quod vaſibus Corinthiacis inter ænea vaſa alia conſuevit ſtatui. Ipſus aſſervo mecum *Liviam* unam, ſub imagine pietatis, unam *Antoniam* & *Adrianum* unum, qui ex tali ære mihi quidem videntur conflati. Verum artifices noſtri contendunt, nunquam æs iſthoc fuiſſe ad nummos feriundos uſurpatum; aſt enim neque ego tanta polleo autoritate, ut traditioni novæ locum dare poſſim, tametſi non videam

am ſatis, quare id metalli, quod vaſibus conflandis eſt adhibitum, nequiverit inſervire nummis aliquot, quandoquidem etiam imagines Principum pretioſiſſimis gemmis fuerunt olim inſculptæ.

Savot, (P. 2. cap. 17.) qui curioſius Antiquariis reliquis diſtinctionem metallorum in nummis pertractavit, peculiari capite tres facit Corinthiaci cupri (*æris*) ſpecies; unam quidem, in qua prævalet aurum, alteram, in qua argentum, & tertiam, in qua æquales auri, argenti, & cupri ſunt partes. Conatur porro idem ex Plinio probare, imitatos eſſe quosdam, tria iſta metalla invicem commiſcendo, æs Corinthiacum, dum is *de ratione fundendi æris pretioſi* alicubi ſcribit. Interim non diffitetur, experientia doctus, poſt examina cupri iſtius ſæpius inſtituta, neque vi ignis, nec aquæ fortis efficacia vel tantillum auri elici potuiſſe.

Tandem ex vario cupro dantur nummi, non mixti quidem invicem, ſed ita tamen, ut unum in ſe concludat alterum, compara- *Nummi ex duplici cupro.*

parati,(*enchaſse*) & unam eandemque formam habeant. Tales ſunt quidam (*Medaillons*) maximi moduli Commodi & Adriani, & præter hos adhuc aliquot certi,qui,absque hoc ſi eſſet, non forent niſi ex magno aut medio ære. Obſervari meretur,quod characteres inſcriptionis tangant (*de la legende mordent ſur les deux metaux*) interdum leviter æs utrumque,cum alias non appareant niſi in interiori,& prior metalli circulus tantùm inſerviat inciſioni vel incruſtaturæ: (*d' encaſtillement.*)

ex plumbo: Reperiuntur præterea nummi ex plumbo, a quorum fraude ut ſedulo caveamus oportet, ſiquidem maxima eorundem pars moderni ſunt nulliusque omnino valoris, tametſi ſuum ſtet pretium vere antiquis. Vidi quosdam Avenioni apud Dn. *Roſtagny*, quos ille faciebat plurimi, & alio die vidi unum *Tigranem*, qui procul omni dubio plumbum erat vetuſtum, multo etiam magis candidum ac durum noſtro.

Non

Non me latet, plures Antiquariorum noſtræ gentis vix perſvaderi apud animum ſuum, quod reſtent nobis nummi ex plumbo antiqui. Sed enim vero ſi id agunt,ut evincant,nunquam apud Romanos monetam plumbeam fuiſſe in uſu, næ tunc falluntur inſigniter, & ægre poterunt reſpondere autoribus de ea loqvutis, ut Plauto Martialique & aliis. Quod ſi autem hoc volunt,quod moneta, quam appellant *plumbei nummi*,ex cupro ſint, cui plumbum admixtum, tunc regeret *Savotus*, eam mixtionem non niſi verſus Septimii Severi tempora reperiri, & a ſe in examine antiquorum etiam nummorum ne granulum quidem plumbi eſſe deprehenſum. Autores etiam jam allegati, quibus de plumbea moneta ſermo eſt, ætatem Severi ſuperant.

Non loquar autem de quibusdam nummis ex cupro inauratis,utpote qui ſunt ita corrupti a curioſis quidem ſed inſciis rerum & pretii,ſimilibus illis, qui perſonam ex veſtitu,hone-

neſtumque hominem ex fortuna æſtimant.

Nummi ferrei. Neque dicam de ferreis, quales perhibentur dari. Non quaſi ego ignorem, quid ſcribat Cæſar de quadam Britanniæ magnæ gente, quod illa videlicet moneta utatur ferrea. Novi etiam idem eveniſſe in non una Græciæ civitatum. Neque me latet tandem narratio Savoti, affirmantis, dari monetam Rom. quam attrahat magnes. Verum haud apparet difficulter, tales eſſe nummos incruſtatos, & a Reipublicæ & ab Imperatorum tempore, qualium copia paſſim abundamus, ea nimirum ratione comparatos, ut tectum ſit ferrum cuprumve lamina argentea, cujus adaptatio anſam tunc dedit falſatoribus monetæ ſuos fœtus æri probo clam omnibus aſſociandi. Eſt ea de re dictum a nobis ſatis, ſed dicetur tamen amplius alio loco, quo remedia exponemus, malo huic eradicando a peritis allata.

Diſtincta invicem hæc metalla tres tantum ſpecies nummorum conſtituunt.

tuunt. Aureorum minor eſt numerus, utpote qui ultra mille aut mille ducentos Imperialium non aſcendit; Argenteorum longe contra eſt major, quandoquidem plusquam tria millia Imperialium dantur; Æneorum vero tandem ſex aut ſeptem millia, ſi tres diſtinctas invicem magnitudines ſimul complectamur. In numerum voco non niſi Imperatorios, cum, ſi quis & Regum Vrbiumque nummos velit addere, ſupputatio futura ſit longe copioſior. Notum eſt, Wolffgangum Lazium Medicum Germanum, qui viſus fuit vaſtiſſimo opere exhibere voluiſſe omnes, quos ipſe uſurpaverat unquam oculis, nummos, adeo extendiſſe eorum ſummam, ut fidem ſuperaverit, ita ut ex 700000, de quibus loquitur, licet noviſſimus detrahatur numerus, tamen neque ſic ſibi conſtet ille, cum imagines, quas fecit deſcribi, non ultra 7000. nummos polliceantur.

Quod me attinet, ita habeo, dum metallorum & magnitudinum fiat diſtinctio, & omne id, quod antiquum

adeſt

adeſt modernumque ad monetam usque & abaculos, neminem poſſe procedere longius in iis,quæ ſibi quis concipit ad exempla gazarum cæteris magis inſtructarum.

Quicquid autem de materia numiſmatum diximus, id debet omne tantum de ordinariis accipi, uſitatisque apud Græcos & Romanos,utpote qui monetam ſuam ad tria primaria metalla reduxerunt, aurum nempe, argentum & cuprum. Vnde etiam monetarii hæc ſolum adhibebant ad demonſtrandam, quam ab officio accepiſſent, poteſtatem, hac ratione eam exprimentes: III- VIR. A. A. A. F. F. id eſt: *Triumvir, Auro, Argento, Ære, Flando, Feriundo.*

Cum vero præter ordinem cogeret neceſſitas, defectu metallorum, viliorem materiam uſurpare, veluti terram coctam,cortices,lapidum ſegmenta&c. quæ notis certis inſigniebantur; Cuncta hæc tamen fiebant ex neceſſitate potius inque ſolutionem ſtipendiorum, quam ut monetæ publicæ vicem fungerentur. Curioſi de

de hoc argumento plurima perjucunde ex Savoto & ſimul id edocebuntur, quid æra lupinis diſtent.

PRAECEPTIO III.

De

Magnitudine diverſa, ad quam variæ adornantur nummorum ſeries in iisdem metallis.

NOn videtur, ab antiquis cuſos fuiſſe nummos ea, qua nos ſolemus ferire modernos, craſſitie ac magnitudine, hoc cumprimis ſeculo, dum & orbis & cælatura (*le volume & le relief*) majoris generis nummorum (*des medaillons*) multo noſtris minora ſunt, tametſi ex adverſo moneta ipſorum noſtra longe firmior eſt. Ita circuitus ſeu circumferentia omnium nummorum vix tres pollicaris (*pouce*) menſuræ ex diametro, & ad minimum quartam ejusdem partem exæquat, ſive ex auro ſint illi ſive ex argento aut ex cupro demum. Hæc quippe ſunt

primaria metalla, eademque fines circumſcribunt officio monetariorum, qui ideo dicti III-VIRI A. A.A. F. F. *Auro Argento Ære Flando Feriundo;* veluti jam eſt à nobis expoſitum.

Nummi maximi moduli (les medaillons.) Eos appellavi *Medaillons* ſeu maximi moduli nummos, qui vulgaris monetæ vices non ſubibant, cuſi ſolum ceu monumenta quædam publica, diſtribuendique populo in ſolemnibus triumphorum ludorumve, vel donandi Legatis exteriſque Principibus. Hos vocabant Romani *Miſſilia*, qui hodie Italis *Medaglioni* audiunt, quo nomine & nos utimur æmulati Italos, ad ſignificandum inſolitæ magnitudinis nummum. Dividi poſſent in diverſas claſſes, velut alii nummi ænei, ſi integras illorum ſeries comparare poſſemus: ſed eousque progredi non licet, etiamſi & diverſa metalla & diverſas magnitudines in unam ſeriem commiſcere vellemus: Hanc ob causã primus ipſis in ſerie datur locus, nec ſcio quenquam, qui taliũ nummorũ ultra 400 vel 500 poſſideat, necRegẽ Galliæ ipſum

ipſum neq; ullũ in Europa principem. Quicquid autem eius ſit rei, *Morellius* tamen in Specimine, quod exhibuit, vaſti ſui operis, quo de loquemur alias, plus quam mille, quos ex variis perluſtratisque a ſe Muſæis deſumſit, liberaliter pollicetur. Eminet ille hodie inter antiquarios omni in hoc ſtudiorũ genꝰ induſtria ac ſingulari in nummis colligendis felicitate, morumque probitate; & nulla viro prorſus incomparabili res deerit amplius, modo Deus ipſum vera velit donare fide, & agnitione religionis Catholicæ ceu veræ.

Datur & alia ſpecies nummorum maximi moduli, qui *Contourniati* appellantur, vi vocis Italicæ (*contornare*) quæ modum fabricæ indicat: ambiuntur enim circulo quodam cavo, qui ab utraque parte nummi apparet & figuræ horum nummorum nulla apparent elevatiore ſculptura (*relief*) ſi cum veris *Metallionibus* comparentur. *Conturniati.*

Originem hoc operis debet, ut ego quidem arbitror, Græciæ, uſur-

pati cumprimis in exornanda eorum memoria, qui victores in ludis publicis diſceſſerant. Sunt enim tales reſidui nobis adhuc, Homeri nempe, Solonis, Euclidis, Pythagoræ, Socratis, Apollonii Thyanæi, & plurium Athletarum, quorum victoriæ palmis denotatæ & bigis aut quadrigis.

Tempus, quo illi nummi fuerunt excuſi, nondum innotuit ſatis. Tametſi enim ſint, qui affirment, factum id eſſe poſt demum ætatem Theodoſii, tamen & opus ipſum notatique in iſtis Imperatores primi evincunt quaſi, tales extitiſſe etiam in Imperio ſuperioris ævi. Dantur enim & de Nerone, Trajano, Alexandro Severo, deque quibusdam adhuc aliis, quorum memoria ut renovaretur in inferiori, & ſub Principibus Chriſtianis, neminis intererat. Ac patet id amplius ex imaginibus Athletarum, quas reſtitui ſolemniter opera viſa fuit inutilis.

Metalliones ex argento. Facilius invenire licet nummos majores ex argento, eorumque ſeriem adornare admodum egre-

egregiam, non Imperatorum quidem omnium, ſed Regum tamen Vrbiumvé. In Exemplum ſint Macedoniæ & Syriæ Reges, quorum hiſtoriam nummis talibus illuſtratam debemus *Vaillantio*, qui & ipſe adparat Ægyptiæ Reges. At enim vereor, ne ſpe ſua colligendorum omnium excidant privati, cum eo felicitatis vix procedere liceat Principibus Viris.

Vsque adeo ſunt autem rariſſimi nummi ex auro majores, ut eorum quod eſſet ſatis, non queat prorſus reperiri. In honorem Muſei tamen illi junguntur aureis argenteisve cæteris. Talium duos Commodi videre contigit in Nummophylacio Regis pulcherrimos utique, ſociatos reliquis nummis majoribus, & extra ſui metalli ſimiles.

Metalliones aurei.

apud Dn. Carcavi, qui alias Regi fuit a cura nummorum.

Secus vero ſe habet cum nummis ex ære magno. Tanta quippe horum eſt copia, ut ſeparare eos oporteat, ad magnitudinis rationem, in tres potiſſimū ſeries; magni videlicet, medii ac minimi

Metalliones ex ære eorumque varia magnitudo.

æris. De ordine cujusvis ac loco judicium fit ex orbe, (*volume*) quæ & craſſitiem nummi ac faciei cœlaturam cum magnitudine illius complectitur. Ita ut iſte nummus, qui craſſitiem magni æris præ ſe fert, ſed caput medii, ſecundo ordine debeat collocari; Ille vero qui caput magni æris habet, tametſi nulla craſſitie conſpicuus, primo ordini accenſeri. Curioſorum animi plurimum hic valent. Hi enim queis maius æs in deliciis eſt, multum æris vere medii admiſcent, & qui ex adverſo medium amant, addunt huic æs ſæpe maius, ſolum ideo, quod capita habeant inventu difficiliora. Sic Otho medii æris, Antonia, Druſius & Germanicus junguntur majori, & minus æs medio. Singulæ tamen ſeries iſtæ ſuo gaudent pretio. Ac prima quidem ob ſuavitatem & vim cælaturæ, & ob ſervatam ita rerum geſtarum memoriam, quas ibi videre eſt ſcitiſſime repræſentatas. Altera ſui amorem inſinuat ex numero ac raritate partium averſarum, (*des revers*) utpote quæ refe-

runt

runt admodum multas Græcorum Latinorumque colonias, quas fere plane non licet in ære maiori reperire. Tertiam commendat neceſſitas, dum in Imperio inferiori ſeu Græco maius æs ac medium deſtituit curioſos vel collectores nummorum & utrumque, ſi reperiatur, inter nummos maximi moduli refertur.

Id enim ut ſciamus oportet, ne quis ſine fructu laboret, perfectam æris maioris ſeriem Poſthumiorum ætatem non ſuperare, quandoquidem rariſſimi ſunt inventu nummi maiores in Imperio inferioris ævi, neque illi, qui inde ab Anaſtaſio apparent, craſſitie aliqua aut juſta capitis magnitudine gaudent. Interim tamen usque ad Poſthumos poſſunt, ceu dictum eſt, duo quaſi eorundem millia comparari. *Series æris magni.*

Facilior eſt adornatu æris medii ſeries magisq; eadem perfecta, quandoquidem illa non Poſthumiorum ſolum ætatem accedit, ſed & ad Imperii Rom. in Occidente, quin & in Oriente, ruinam, & usque ad Pa- *Series medii æris.*

læologos. Difficillimum eſt ſane inde ab Heraclio invenire ſingulos, ſic quidem, ut ſeries ne patiatur ſubinde hiatus. Verum id hinc arbitror venire, quod parum curæ conſervandis illis fuerit unquam impenſum, inſcite videlicet efformatis, ita ut deſolatio Imperii nullo argumento evidentius queat conſpici, damna ſecum bonarum artium univerſim trahens, quæ vel ex cælatura ſimul nummorum, qua nihil ineptius, pateſcunt.

Series æris minimi. Perinde vero & ſeriem æris minoris licet in Imperio inferiori conſtituere non difficilem, dum eius datur a Poſthumis ad Palæologos usque, quibuscum finis factus eſt Græcorum Imperio, copia ſufficiens, aſt minor tamen a Julio ad Poſthumos usque, & nulla prorſus a Theodoſio ad Palæologos, niſi quis hic in ſubſidium velit vocare aurum argentumque ac quosdam medii æris. Dn. quidem *du Cange*, doctiſſimus ſeculi noſtri Hiſtoricus, exhibuit nobis dignam illam admiratu ſeriem a Conſtantino, in Libro quem de *Familiis*, *du Cange.*

quas

quas *Byzantinas* vocat, conſcripſit. Verum ad illas poſt fundationem demum Conſtantinopoleos, quam Conſtantinus Novam Romam eſſe voluerat, ſumma rerum pervenit.

Nulla ergo ſpes ſeriei perfectæ colligendæ reſtat, neque ex ſingulis metallis, neque ex magnitudine diverſa, nec propterea nummi ex diverſis metallis ſunt invicem commiſcendi.

Conceditur interim his, qui integram cupiunt adornatam, mixtio æris medii & minimi, ut ſe ea ratione deductos videant fere absque interruptione notabili ad ruinam Reipublicæ Romanæ, cuius libertas periit ſub Julio Cæſare, & usque ad ultimos Imperatorum Græciæ, quos ſolio dejecit Turcarum furor, annum circa CIↃ CCC CL. Sicut ſeries nummorum repræſentare queat oculis noſtris ſedecim ſeculorum ordinem non interruptum.

Mirari hic ſubit oſcitantiam Imperatorum in re nummaria, eorum cumprimis, qui poſt *Nummi inferioris Imperii.*

 prio-

priora tria ſecula vixere. Inde enim ne veſtigium quidem, Majeſtatis Romanæ quod eſſet index dignus, apparet. Nam usque ad Theodoſium non ſunt niſi nummuli, absque gravi cælatura & craſſitie omni (*ſans relief & ſans epaiſſeur*) & inde ab Imperii diviſione, ac poſt mortem adeo Theodoſii, mera regnat cum miſeria paupertas. Et capita enim æque ac partes averſæ (*revers*) barbara omnia, characteremque & linguam ac typos cum inſcriptionibus oſtendunt, ſic ut nemo temere amet eos colligere, unde & vel ob hanc ruditatem ſuam facti ſunt rari.

Studium nummorum, una cum picturæ elegantia, ſeculo XV. poſtliminio rediit, ſepultum quaſi per mille annorum intervalla, triſtiaque inter Romanæ Majeſtatis rudera. Id ſolum *Piſani* deinceps ac Bolduci, Pictorum, cumprimis induſtriæ debetur, quod comparuerunt iterum nummi ob cælaturam admodum conſpicui. Exemplo ſint nummi Ferdinandi Arragoniæ Regis 1449. & Johan-

Piſani Pictoris opus, Bolducis opus.

Johannis Imperatoris CPltani decem adhuc annis ante. Poſt inde cæptum eſt aureos cudi, qualis & Concilii Florentini in Regis Gaza aſſervatur, & unus Conſiſtorii publici Pauli II. Pontif. M. Ex quo initium modernorum faciunt curioſi, nullo ſcilicet moderno præcedentibus ſeculis unquam facto.

Praeceptio IV.

De Capitibus variis, quæ cernere eſt in nummis, ex quibus fieri poſſunt ſeries.

IN Nummis ſingulis iisdemque perfectis duo potiſſimum latera debent conſiderari, quæ & elegantiam eorum arguunt & raritatem, illud videlicet, quod faciẽ appellant (*la teſte*) ſeu caput, & illud, quod averſæ partis ſive imaginis nomine venit. Facies determinat ſeriem, ſive adeo appareat perſonæ caput, veluti Dei, Regis, Herois, docti, athletæ; ſive demum quævis alia res videatur, quæ locum perſonæ ſuſtinet,

ſtinet, perinde capitis appellatione cohoneſtata, velut figura quæpiam aut nomen, aut monumentum quoddam publicum, cuius inſcriptio legitur in parte averſa.

Nummi absq; imagine ſeu parte averſa.

In perfectis undique nummis utrumque debere adeſſe latus, dixi, quandoquidem dantur nummi, queis nulla prorſus eſt imago. (*revers*) Quod ubi contingit, ſtatim de recenti nummorum ætate firmiter debet concludi, quales dantur ſubinde. Ipſe vidi Cæſarionem unum, ex medio ære, Julii Cæſaris atque Cleopatræ filium; vidi & quendam Julii Cæſaris maiorem nummum, in Muſei cuiusdam loco primario, cuius poſſeſſor divitiis abundabat magis quam doctrina, fraude procul dubio Antiquarii cuiusdã avari circumventus. Dantur & nummi, qui capita ſeu perſonas non habent, non minus ideo tamen genuini ac vetuſti. Eorſum debent referri etiam nummi monetariorũ Auguſti, in quibus ſolum extat eius nomen: *Auguſtus Tribun. Pot.* & Vitellii, in quorum parte una legi-

legitur: *fides exercituum*, cum duabus manibus junctis invicem, & ex altera: *Concordia prætorianorum*, cum figura.

Ex hoc itaque capitum diſcrimine, de quibus nobis ſermo, quinque nummorum conſtituuntur ordines, ſeries curioſiſſimas formaturi. In primo collocatur ſeries Regum. In ſecundo Vrbium, Græcarum æque ac Latinarum, ſive ſint illæ ante ſive poſt conditam Vrbem. In tertio Familiarum Rom. quas Conſulares vulgo vocant. In quarto Imperatorii, & quicunque ad eos pertinent; In quinto denique Dii Deæque (*Deitates*) omnes, quorum ſeries fieri poſſunt amœniſſimæ prorſus, ſive illi extent ſub ſimplici thorace (*ſon buſte*) ſive ſymbolis quilibet ſuis ac habitu exornati. Apparent ibi & Heroes & illuſtres Viri, quorum nummi ab injuria temporum vindicati reſtant, velut Homeri, Pythagoræ, & Ducum quorundam apud Græcos perinde ac Latinos famoſiorum.

In primo ordine, quem Reges ducunt, ſeries non elegantes mi- *I. Series Regum.*

nus

nus quam numeroſæ poſſunt adornari, ſi quis miſcere invicem velit metalla. Ex græcis enim habemus talium bene multos. *Vaillantius*, unus ex peritiſſimis in arte nummaria, hos ante aliquot annos dedit nobis Regum Syriæ Hiſtoriam ex nummis, egregiarum rerum copia abundantem. Perfectam in illa collegit eorum ſeriem inde a Seleuco I. quem dixere Nicanorem, usque ad Antiochum XIII. appellatum Epiphanes Philopator Callinicus, cognitumque deinceps etiam ſub Aſiatici & Comagenis cognomento. His finibus concluſit ille XXVII. Regum Imperium, ſpatia duorum cum dimidio ſeculorũ complexum, quandoquidem Seleucus Rempublicam capeſſivit annum circiter CCCXII. ante N.C. & Antiochus ille regnare deſiit annum circa LXXV. ante eundem orbi donatum. Reperitur & in eodem opere ſeries centum fere & viginti nummorum deſcriptorum graphio (*gravées*) & explicatorum eleganter, quorum plurimam partem videre eſt in Muſeo Regis.

Reges Vaillantii.

Idem

Idem *Vaillantius* accingitur nunc concinnandæ ex nummis Ægyptiorum Regum hiſtoriæ, quorum jam copiam magno ſtudio ſelegit. Singularium quoque Regum nummos conquiſivit non contemnendos, ex quibus proinde opus peculiare & gratum doctis jam parat.

Macedoniæ Reges nummos curarunt cudi neque vel præſtantiſſimis Romanorum inferiores. Plurimi extant in gaza Regis. Ponti, Bithyniæ, Cappadocum, Thraciæ, Parthorum Numidarumque & Armeniæ ac Judæorum Reges poſſent & ob raritatem & ob hiſtoriæ adjumentum ſeriem pretioſam & æſtimandam efficere. *Reges Græci.*

Apparent & Gothici Reges, quorum nummi ad noſtram hanc usque ætatem pervenerunt. In quibusdum æneis perinde ac argenteis eſt nitor & cælatura, quales ſunt Athanarici, Theodahati, Witicis, Totilæ, Baduilæ, Theiæ, Attilæ &c. Extant & aurei, ſed ex pallidiori auro, ac cui Patinus non niſi quartam auri *Reges Gothici.*

puri

puri partem ineſſe affirmat, confecti. Sunt alii rurſus quos Gothicos vocant, quorum capita vix quidquam humanæ ſpeciei referunt, neque inſcriptionem exhibent, & ſi quæ licet adeſt, tamen characteres & ignoti ſunt nobis & jam antiquati, veluti ſunt etiam Punici, quos appellant; Eorum hic mihi nulla mentio, non magis quam Hiſpanorum, quorum nummos recte dicere poſſis *Medallas deſconnocidas*, i.e. *nummos vel ignotos vel inconditos*, a nemine proinde etiam huc dum usque in certum ordinem redactos.

Reges Franciæ. Ex antiquis Franciæ Regibus reſtant quoque nonnulli, queis permittebant cudere nummos Imperatores Orientales, ſuis & typis (*coin*) & nominibus notandos; erga quos illi deinceps ut gratos ſe publico teſtimonio exhiberent, aſſociabant vultum Imperatoris, a quo vel in fœdus aſciti, vel adoptati fuerant. Cumprimis autem ſunt iſti nummi Juſtini & Juſtiniani temporibus atque ſeculo proin ſexto reperiundi, quorum aliquot

quot delineari fecit (*gravées*) *du Cangius*, Theodeberti nimirum, Childerici, & Clotarii, ſingulosque Diſſertatione erudita in ſuo *Joinville* illuſtravit. *Diſſ. XXIII.*

In ſecundo, Vrbium videlicet, ordine, egregia ſeries poteſt adornari, quandoquidem ex ſolis Græciæ civitatibus ultra ducentos levi opera licet colligere. *II. Ordo Vrbium.*

Golzius, qui magnum iis videtur ſtudium impendiſſe, dum non in decoris ſolum loco, ſed ut certa Hiſtoriæ ſuæ documenta nummos habuit, ingens opus ex iisdem concinnavit, varia refertum doctrina, ex quo ſimul varii typi nummorum iſtorum addiſci recte poſſunt, quos diſtinctius explicare ſtudio, ut videtur, dato neglexit. Alia ratione & inde ab Anno 1618. per ipſummet Golzium delineatos eos habemus, emendato & impreſſo opere cura Jacobi de Bie Antvverpiæ, in plus quam centum tabulis, præmiſſos utrique Tomo Hiſtoriæ Græcæ ejusdem Goltzii, quorum primus in ſe complectitur Græ- *Nummi Goltzii.*

ciam magnam ſimul cum Sicilia,& alter Græciam cum inſulis adjacentibus & Aſiæ partem. Id ſolum dolent antiquitatis ſtudioſi,quod plurima nummorum, quos Goltzius allegavit, pars perierit, & quod ex triginta provinciis, in quot ille diſtinxerat ſeriem totam, quinque tantum eæque inſuper minimæ reſtent, Colchis nimirum, Cappadocia,Galatia,Pontus,Bithynia. Sed ex iis tamen nihilominus ſeries inſtitui poteſt fere CCL. nummorum, ſi quis velit miſcere invicem metalla, præter eos, quos contigit ab illo tempore reperiri.

Golzii fama & locus inter Antiquarios.

Non poſſum hic mihi temperare, quin de æſtimatione paucis ediſſeram, quam Goltzius Antiquarios inter habet, utpote quibus ille creditur eſſe parum accuratus nec fidus ſatis, & quaſi qui enarret nummos nusquam gentium viſos. Vt idem adeo experiatur Plinii fatum, quem demirantur Phyſici omnes,& omnes quoque fide non dignum cenſent. Sed ad utrumque una fidelia dealbandum defendendum-

dumque, ſufficit id ſaltem affirmare, primum quidem, quod doctus ille chalcographus nullam cauſam & ſuo ſequutisque ſeculis imponendi habuerit; ac deinceps, quod indies fere nummorum plurimi detegantur, quos creditum eſt velut per jocum a Goltzio effictos, quemadmodum & quotidie miracula naturæ inclareſcunt magis, habita hactenus inter ſuavium ſomniorum umbras & humani ingenii deliramenta, & quaſi quæ retulerit Plinius fide utplurimum aliorum nixus ac credulus nimis.

Nummi Coloniarum gratam *Coloniæ.* iis ſeriem formare poſſent, quibus Geographia antiqua in deliciis eſt, diverſam non minus quam jucundam & numeroſam ſimul ac facilē collectu, quando potiſſimum hodie adjumentis concinnandæ intelligendæque illi neceſſariis non deſtituimur. De his loquor urbibus, ad quas cives ſuos ablegabant Romani, ſive ut frequentarent illas exonerando Romam, & veteranos milites ornando præmiis, ſive de novo easdem conderent, dona-

rentque Jure Civium Romanorum, ſeu jure Latinitatis, quod Jus civitatis & Latii quoque appellabant. Iſtud Coloniæ aut municipii nomen conſervarunt urbes, ſive ductæ fuerint illæ in Græciam, ſeu aliorſum: Græci enim *κολωνίας* vocabulum velut conſecratum & honoris ſaltem cauſa quaſi adoptatum habebant.

Major futurus eſſet numerus, ſi jungerentur Vrbes omnes, quotquot ſuis ipſæ auſpiciis cudi fecerunt nummos, non penſi habito, num græcæ ſint Imperialesve aut Latinæ, nec ne; Verum, ut curioſitati fiat ſatis, averſa pars in Imperatoriis ut tunc evadat caput oportet, quando faciei Imperatoris non niſi ex accidenti tunc eſt uſus.

Liber Harduini. *Harduinus* Jeſuita Plinio exornando dedit operam, quippe cujus ille adornavit editionem novam, quæ utique ampliſſimum opus eſt, & ingenii ſpecimen ad augendas ſcientias nati, inſtructique facili vividoque & profundo judicio, cui junctum præterea donum coniectandi feliciſſimum una cum lectione incre-

dibili

dibili prorſus ac fiducia memoriæ ſtupenda, quæ confeſtim & velut ad primum nutum concredita ſibi reddit; Iſte, inquam, doctiſſimus Vir peculiari volumine urbes populosque, quorum conſervata nummis hucdum usque memoria eſt, deſcripſit. Multas eorundem conquiſivit myriadas, & explicationem adeo concinnam inſtituit, ut temperare mihi non queam, quin teſtimonium ipſi nunc dicam, quod ſola vis veritatis expreſſit. Nulla ibi quippe pagina eſt, quæ non inſtruat lectorem plurifariam de rebus antehac non perſpectis, nec alibi temere dictis; Vnde, & quia plurima ſimul deteguntur, de quibus alii ne cogitarunt quidem, mirum quanta ad doctos redundet oblectatio. Omni utique igitur ex parte abſolutum hoc foret eius opus, ſi modo nummos omnes contemplari, quos allegat ipſe, potuiſſet, ac ſi modo etiam ſymbola ſingulorum & averſas facies, eadem opera, quam pluribus præſtitit, voluiſſet explicare.

Coloniæ Vaillantii. Id autem fecit abunde *Vaillantius*, utroque quod imprimi curavit *de Coloniis Latinis* Volumine, eo ſane ſucceſſu, qui operi ſuſcepto reſpondet. Nihil inſervit magis eo libro notitiæ nummorum, de quibus nobis eſt ſermo, quandoquidem nihil prorſus omiſit eorum, quæcunque de variis Coloniarum, quas attulit, typis poſſunt unquam dici; unde ſimul nova operi accedit commendatio ac major, quam ſi ſola typisque deſtituta data fuiſſet deſcriptio. Quod ſi & Græcas perinde Colonias jam collectas a ſe & eadem accuratione dare vellet, poſſet profecto immortaliter de literis mereri. Jll. Comes *Mezzabarba* pro exornando Tomo ſecundo *Occonis a ſe aucti* votis omnibus expetiit eam collectionem. Et ſane vix hic lucem aſpiciet prius publicam, ſaltem non ita perfecte, quam auxilia tulerit ab homine, qui parem cum *Vaillantio* muſeorum cætera ſuperantium in Gallia Italiaque ac reliquis locis, quibus ſplendida antiquitatis monumen-

numenta aſſervantur, habeat cognitionem.

Id oportet adhuc ut dicamus, capita (*teſtes*) nummorum, quos Vrbes, fieri curarunt, non eſſe plerumque niſi genium urbis ipſius ſeu Deitatem quampiam aliam ibi cumprimis cultam, quemadmodum ex Goltzii nummis eſt videre.

Nummi Conſulares in ordine tertio ingentem conficiunt ſeriem, & quæ ultra CIↃ CC aut CIↃ IↃ poſſet extendi. Parum illa vero habet curioſi in *legendis* æque ac typis, niſi quis forte excipiat nummos poſt ruinam Imperii cuſos, qui, ut recte procedatur, debent initium dare Imperialium ſeriei. Ante vero illa tempora hoc nummorum genus ſimplici ſolum vel amatæ galea Romæ, vel deitatis capite apparet exornatum, & averſa pars refert Victoriam bigis quadrigisve circumvectam. *III. Ordo familiarum.*

Verum eſt, quod ſextum V. C. ſeculum verſus auſi fuerint monetarii nummis infigere capita Virorum in familiis illuſtrium, & ea *Capita in Conſularibus.*

quidẽ ſ. figuris propriis ſ. ſub imagine Deitatis, cujus tutelæ ſuberat familia, idque usque ad caſum Reipublicæ, ex quo cæpta ſunt capita Julii Cæſaris, Conjuratorum adverſus eum, Trium-Virorum, qui aggrediebantur poteſtatem liberam & omnium denique eorum; quorum quædam in adminiſtranda Republica erant partes, inſculpi. Ad infelicia igitur hæc usque tempora nemini fas erat caput ſuum imponere nummis, cum videretur illud privilegium quaſi quædam regii Imperii continuatio, in quod tanto odio ferebantur Romani.

Quoties igitur in nummis Conſularibus capita Romuli, primorumve Regum, aut Scipionis, Metelli, Luculli, Reguli, Caldi, aut ſimilium accidit apparere, non oportet ut quis credat, eos eſſe ſub ipſorum tempora factos, quandoquidem Regum ætate argentum v.g. nondum erat in uſu frequenti; Sed potius quidam eorum poſteri monetariæ rei deinceps præfecti in majorum honorem tales effecerunt,

ac

ac velut in æternum ſuæ nobilitatis monumentum.

Id reſtat adhuc circa Conſulares, ut moneamus, quod, tametſi fere omnes & argentei ſint & tertiæ magnitudinis, quoniam vicem denariorum Rom. ſeu Quinariorum & Seſtertium obibant, nihilo reperiantur minus multi ex quovis metallo, & in ære quidem de ſingulis tribus magnitudinibus, eo tamen diſcrimine, ut vix quinquaginta aut LX. aurei, ac vix etiam CCL. ænei, ex adverſo autem fere CIↃ argentei extent, quos primus collegit delineavitque Fulvius Vrſinus, auctos deinceps plurimum abs Carolo Patino; poſt quem & ipſum alii reperti ſunt non pauci, non minus editione nova merito digni.

Prima ratio inſtituendi ſeries Conſularium.

Hoc igitur ſuppoſito, Series Familiarum duplici ratione poteſt inſtitui. Ac *primo* quidem, velut Vrſinus fecit, ad ordinis Alphabetici ductum, utpote qui familiarum reperiunda in nummis nomina ſic collocavit, ſimul & his additis familiis, quæ eidem unique genti videntur

dentur neceſſitudine quadam conjunctæ. Iſta quidem ratio diſponendi minus habet oblectamenti, ſed & convenientior eſt tamen & magis etiam concinna.

Altera ratio. *Deinceps*, velut Goltzius fecit, per faſtos Conſulum, nummis ad ordinem Conſularium annorum diſpertitis. Hæc ratio & elegans eſt & doctrinam arguit; Verum & ſpeciem tantum habet eadem, & executio fere eſt impoſſibilis, idqne ideo, quoniam nullus nobis numm9 primorum Conſulum hodie ab Anno CCXLIV usque ad Ann. CCCCLXXXIV reſtat; Quod & Goltzium coëgit nomina tantum ponere, & ea quidem ratione, qua leguntur in faſtis. Deinde etiam ab illo tempore ad Auguſti usque Imrium nummi, quos ipſe attulit, neque per Conſules, neque pro Conſulibus, quorum nomina repræſentant, ſed ſolum a monetariis fuerunt cuſi, utpote qui & ſuum & maiorum familiæ ſuæ nomen ita voluerunt ab oblivione vindicare. Neceſſario id hic debet notari, ad removendum juvenum curio-

curioſorum errorem, qui ſibi perſuadent, nummos, qui Conſulares audiunt, id nominis inde accepiſſe, quod pro Conſulibus annuatim electis fuerint facti, cum ex adverſo illud ipſis non ſit impoſitum ob aliam cauſam, quam quod eo tempore, quo ſumma rerum penes Conſules adhuc erat, fuerunt cuſi. *quare dicti Conſulares.*

Etiam de his Nummis Imperatoriis loquamur tandem, qui *quartum* conſtituunt ordinem, & ex quorum capitibus perfecta Imperatorum ad noſtram usque ætatem ſeries poteſt confici. Magni potiſſimum habentur antiqui, & hos inter illi, qui ſuperius Imperium conſtituunt, quod intra Julii Cæſaris ac Tyrannorum triginta terminos concluditur. Dantur utique in iſtis & elegantes ſimul ac rari admodum usque ad Conſtantini M. familiam, ex quo tantum non cuncta pulcherrimarum rerum ſtudia perierunt. *IV. Ordo Imperatorum, ſive Imperialium.*

Quo de argumento alias a nobis dicetur. *Occo* Medicus Germanus in Vrbe Auguſtæ Vindel. pri- *Occonis opus.*

mus deſcripſit ea tempora, impreſſo opere Anno 1580. aut 1581. Antvverpiæ; Cumque indies augeri numerus cæpiſſet deinceps, alteram adornavit Auguſtæ Vind. 1601. quæ omnino meretur laudem; recentiorem tamen adhuc Comes de *Mezzabarba* Nobilis Pavienſis, aliquot præterea millibus exornatam. Bene nobiscum ageretur utique, ſi de nummis ipſis mage fuiſſet hic ſollicitus, neque ita temere credidiſſet catalogis ac deſcriptionibus, quas ipſi ſummiſerunt amici, non ubique ſidis tamen.

Opus Mezzabarbæ Mediol. 1683.

Opus Patini.

Patinus non plurimos ſingulari ſtudio collegit ſolum, ſed & æs omne medium, quod poſſedit, fecit delineari, ipſe etiam majorem cæteris, qui ætatem ſuam ſuperant, adhibuit induſtriam. Ad Heraclii enim Imperium usque deducit illos, precibus Comitis de *Brienne* ad id operis ſuſcipiendi adductus, cuius Muſeum perfecerat, redemtum deinceps a *Colberto* pro Rege, qui eo tempore non aliud, quam quod defunctus Au-

reliæ

reliæ Dux reliquerat, habebat. Diximus jam, quod, ſi & inferioris Imperii Numiſmata & Imperatores græci adjungerentur in auxilium, ex ære fieri poſſit ſeries ad Occidentis Imperatores & ad noſtram ætatem usque deductura, beneficio ſimul modernorum; de quibus nos alias.

Quintum fecimus ordinem Deitatum, quarum ſeriem ſunt qui ideo æſtimant, quod obſervare licet ac intueri per-omnino-jucunde varia eorundem nomina, ſymbolaque templa & aras, ac regiones demum, ubi fuerunt cultæ olim. Mediantibus ſuppetiis, quas hic ferunt ænei Vrbium græcarum nummi, elegans poteſt confici ſeries, longe tamen amœnior futura ex nummis familiarum argenteis. Plurimi extant tales in Gaza Regis, licetque augere numerum, ſi quis velit eam in rem averſas Imperatoriorum partes mutuare, utpote in quibus non Deitates ſolum repræſentantur ſuavius longe quam in nummis familiarum, ſed & diverſas invicem notas & pretia habent, *V. Ordo Deitatum.*

bent, (*elles y ont leurs titres differens*) ac ſua ſingulæ gaudent magnitudine; ſic, ut uno intuitu & pateant habitus earum armaque cum ſymbolis & Vrbes ſimul, in quibus quæque fuit peculiari honore ac cultu excepta. Hanc egomet cæpi aliquando, collectis jam ultra CCCC. Sed enim ea ratione ac vice deficiebat tunc Imp erialium ordo, nimium ſic imminutus.

VI. *Ordo Virorum illuſtrium.* Novus hic incidit ordo ac *ſextus* adeo, Virorum ſcilicet illuſtrium, quorum reſtant nummi, velut eorum, qui aut Vrbem fundaverunt aliquam aut Reſpublicas, ceu Bizas, Tomum, Nemauſum, Taras, Smyrnam, Amaſtrin; Reginarumque, ut Cleopatræ, Zenobiæ &c. ac Legislatorum reliquis mage celebrium, ut Lycurgi, Zaleuci, Pittaci, Pythagoræ, Archimedis, Euclidis, Hippocratis, Chryſippi, Homeri, & plurium ejusmodi doctorum. Series quippe Heroum talium, ſatis etiam longe proceſſura, oblectamento erit admodum magno.

Id denique notari velim, nummos, qui una eademque parte duas ſimul pluresve facies (*teſtes*) repræſentant, eſſe rariſſimos, ſive ſint illæ geminis adverſisque frontibus conſpicuæ (*affrontées*) velut M. Aurelii & Veri, Macrini & Diadumeniani, ſimilesque; ſive illæ ſe invicem ampleɛtantur (*accolées*) velut Marcus Antonius & Cleopatra, Nero & Agrippina videntur in mutuos ruere amplexus & colla jungere &c. Adhuc tamen ſunt illi rariores, in quibus tria capita conſpicuuntur, ut Valerianus cum duobus filiis Gallieno & Valeriano juniori; Ottacilia cum marito & filio &c.

Nummi plus uno capite conſpicui.

adverſa.

jugata.

PRAECEPTIO V.

De Partibus averſis iisque variis, quæ elegantiam nummorum vel augent vel minuunt.

Niſi id nunc agerem, ut mea opera inſtrueretur Tyro curioſus, cui

cui quicquid in hiſtoria nummorum occurrit, ignotum eſt omne, poſſem ſuperſedere explicando nummorum ſtatu, quo fuerunt illi, antequam ad eam, quam ab Auguſti ſeculo ad usque fere Conſtantinum adepti ſunt, devenirent perfectionem. Aſt enim dum erudiendus nunc quidem eſt, qui incipit diſcere, oportet proinde ut is ſciat, quod apud Romanos & per totam propemodum Italiam (non enim jam niſi de hac ſolum loqui animus eſt) nummi, aut monetæ potius, ſatis diu non omni ſolum imagine ſive parte averſa, (*revers*) ſed & ſigno ullo alio fuerint deſtituti, ſic, ut prima moneta, prout eius uſus vigebat Romæ, rude modo fuerit cuprum, & absque omni nota, usque ad Servii Tulli Regis tempora, qui primus ſeu bovis imaginem ſeu vervecis, ſeu porci eandem inſignivit. Ex quo tempore cæpta ea eſt nomine *pecuniæ* a *pecude* venire.

primi nummi quomodo ſignati.

Non hic aggrediar fabulam antiquam; quaſi Janus jam DCC. annis ante V. C. Italiæ Rex primus ſigna vel

coro-

coronæ pontisve aut navis impreſſiſſet monetæ, ceu inventor horum omnium, & qui uſum eorundem docuiſſet mortales. Novi enim narrationem eam non ſibi conſtare ſatis, quandoquidem ſunt apud Eutropium, qui affirmant, uſum monetæ deberi Saturno, eundemque in Latium fuga delapſum docuiſſe Janum ſignandæ monetæ artem, & ſimul quoque rationem arandæ humi, quodque in grati animi vicem.

Bona poſteritas puppim ſignarit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata ſui.

Quicquid autem ſit eius rei temporibus primis, veluti nulla tunc in Latinorum moneta niſi Jani, vel ex aliorum ſententia, Jani & Saturni invicē adverſorum ſive terga obvertentium (*adoſsées*) capita apparebant; Ita quoque non alia niſi proræ aderat imago. Perſtitit ea ratio usque dum Romani Italiæ ſenſim domini propemodum D. annis ab V. C. cæperunt auream argenteamque monetam feri-

re, COSS. Fabio Pictore & Q. Ogulnio Gallo, quinque ante primum bellum Punicum annis, & ita anno CCCCXXCIV. Ætas hæc eſt argenteæ monetæ; aurum enim cudebatur ſexageſimo demum ſecundo poſt id anno.

Eo tempore, quo ſumme florebat Reſpublica, cæptum eſt de perficienda Numiſmatum elegantia in utraque parte cogitari.

quomodo notati nummi temporibus Conſulum. Caput Romæ ac deitatum ſequebantur Jani caput, primæque averſæ (*revers*) aut Caſtoris fuerunt Pollucisque equis inſidentium, aut Victoriæ a bigis quadrigisve ductæ, imagines; Vnde nummuli Romani (*deniers*) nomen *Victoriati, Bigati, Quadrigati*, acceperunt, quemadmodum antehac alii dicti fuerant *Ratiti*, a navi, quæ & *Ratis* appellatur.

Non ita diu poſt monetarii, ex muneris ſui ratione, eu monetariæ ſimul rei præfecti, cæperunt nummos ſuis nominibus, officiis & familiarum ſuarum monumentis inſignire. Vt adeo re-

referti ſint nummi notis magiſtratuum, Sacerdotiorum, triumphorumque & actionum, ex quibus vel majores ipſorum vel ipſimet acceperant famam. Tales ſunt in gente Æmilia *M. Lepidus Pont. Max. Tutor Regis*, ubi ex una parte Lepidus apparet veſte Conſulari, coronam imponens capiti Ptolomæi junioris, quem Rex Pater ipſius Populi Romani tutelæ commiſerat; & ex altera caput Alexandriæ primariæ in Ægypto Vrbis, in qua ea ſolemnia fiebant, addita voce: *Alexandrea.* Talis in eadem familia nummus eſt, quo junior Lepidus ſpectatur equo inſidens manuque tenens trophæum, addita inſcriptione: *M. Lepidus annorum XV. Prætextatus hoſtem occidit, civem ſervavit.* Talis porro in Julia gente iſte Julii Cæſaris, qui cum eſſet adhuc privatus, neque auderet in nummis ſuam ipſius faciem oſtendere, ſolum ex una parte Elephantem cum ambigua voce *Cæſar* repræſentans, ea & nomen animantis quo in Punica lingua gaudet, & ſuum ſimul deſignavit, ex altera vero tan-

quam Augur ac Pontifex ſuæ dignitatis ſymbola curavit effingi, Sympulum videlicet, Seceſpitam, Aſpergillum, & Mitram ſeu Vittam Pontificis Maximi; quemadmodum in alio nummo videre eſt Cereris caput cum baculo augurali & vaſculo. Talis tandem etiam eſt in gente Aquilia, ubi M. Aquilius, qui ſervos rebellantes in Sicilia disjecerat, ſuis indutus armis conſpicitur, clypeumque in brachio tenens & pedibus proculcans ſervum, cum voce: *Sicilia;* idque cura monetarii cuiusdam ex ipſius familia.

Sympulum fuit vaſculum libationibus adhibitum.

Quomodo ſignati tempore Imperii.

Ex hac ratione non æſtimati ſolum fuerunt nummi tanquam moneta vulgaris, ſed & ob monumenta publica; Vſque dum, cum Julius Cæſar rerum eſſet potitus, tametſi ſolum ſub Dictatoris perpetui nomine, inter alios majeſtatis indices data ipſi fuit poteſtas exornandæ ſuo vultu ac nomine monetæ, ac quacunque demum vellet imagine alia. Ita nummi deinceps omni eo, quicquid unquam vel hinc ambitio, vel

adu-

adulatio inde potuerunt, ad æternandam Principum gloriam & oſtendendas civium gratias, excogitare, fuerunt referti. Ideoque facti ſunt hodie iidem rari ac curioſi, quandoquidem eventus plurimos videre in illis licet, quorum memoriam hiſtoria ſæpe non conſervavit, & quam oportet, ut hæc mutuo ſumat ex teſtibus his omni exceptione maioribus, quibus etiam ipſa teſtimonium dat in vicem de iis geſtis, quæ absque ſua luce non posſent intelligi

Quis enim ſciviſſet unquam nomen filii integrum Marcus Annius Galerius Antoninus, quem Antoninus ex Fauſtina ſuſtulit? Niſi id doceret nummus græcus, cuius una parte legitur: ΘΕΑ ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ, & altera caput duodecennis aut quindecennis pueri: M. ANNIOϹ ΓΑΛΕΡΙΟϹ ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΟϹ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΥΙΟϹ. *Ex medio ære apud Patinum.*

Quis noviſſet Tyrannum unquam *Pacatianum* nomine extitiſſe, niſi id

probaret nummus elegans repertus nuper; aut *Barbiam Orbianam* Alexandri Severi conjugem fuiſſe? & plurima talia, quorum notitiam ſtudio antiquariorum debemus.

P. Chamillard attulit eum ex Itinere ſuo Pyrenaico.

Vnde averſarum partium elegantia exiſtat.

Vt quis vero elegantiam & pretia averſarum (*revers*) adiſcere rectius queat, id tenendum eſt cumprimis, non unius illas generis eſſe. Quædam enim figuras repræſentant perſonasve complures, aliæ monumenta publica, rurſus aliæ tantum inſcriptiones ſimplices, non confundendas tamen cum verbis, quæ margini nummorum circulari leguntur ſubinde inſculpta, dicta nobis *Legenda*, explicandaque deinceps Præceptione peculiari. Multos ita reperire eſt nummos græcos æque ac latinos Imperiales, qui non niſi haſce literas S. C. *Senatus Conſulto* aut Δ. E. Δημαρχικῆς ἐξουσίας, coronæ incluſas exhibent.

Inſcriptiones.

Aliæ

Aliæ, ſunt ſpecies Epocharum, veluti *Primi decennales Cos. III.* in M. Aurelio. In Auguſto *Imp. Cæſ. Aug. Ludi ſeculares votis V. X. XX.* &c. in inferiori Imperio. Aliæ porro eventus magnos referunt, uti forte: *Victoria Germanica Imp. VI. Cos. III.* in M. Aurelio. In Auguſto: *Signis Parthicis receptis*, S. P. Q. R. In Severo: *Victoria Parthica maxima*. In aliis leguntur tituli honorum Principibus conceſſi, velut S. P. Q. R. *Optimo Principi*, in Trajano & Antonino Pio. *Adſertori publicæ libertatis*, in Veſpaſiano. Aliæ gratiarum dant ſigna, & quidem Veſpaſiano: *Libertate P. R. reſtituta ex S. C.* in medio coronæ. Galbæ: *S. P. Q. R. ob cives ſervatos.* Auguſto: *Salus generis humani* &c.

Epocha.

Eventus magni.

Tituli honorum.

in Gaza. Ducis Arſchotani.

Quædam beneficia & merita tantum peculiaria certis temporibus, locisve data, una cum voto pro ſalute Principis Reipublicæ tam chara exhibent. In exemplum ſint nummi ſub Auguſto, in quibus talia leguntur ſæpe: *Jovi optimo maximo*

Merita peculiaria.

S. P. Q. R. *vota ſuſcepta pro ſalute Imperat. Cæſaris Aug. quod per eum Reſp. in ampliore atque tranquilliore ſtatu eſt. Jovi vota ſuſcepta pro ſalute Cæſ. Aug. S. P. Q. R. Imperatori Cæſari quod via munitæ ſint ex ea pecunia, quam is ad ærarium detulit.*

Ex eo tempore, quo CPltani Imperatores græcam linguam in latinæ vicem adhibuerunt inſcriptionibus nummorum, reperire quaſdam contingit, tyroni perdifficiles intellectu. Qualis eſt iſta: IC XC NIKA, IHCOYC XPICTOC NIKAI. Et: KYPIE BOHΘEI AΛEΞIΩI ΔECΠOTHI ΠOPΦYPOΓENNHTΩI. Forte ut iſtud quod in Heraclii nummis eſt, *Deus adjuta Romanis*, videantur Græci voluiſſe exprimere voce BOHΘEI, quæ vix intelligi poteſt, quando literis tantum initialibus eſt ſcripta.

Quis ſciret enim C. LEON RAMVLΘ. in nummo Conſtantini

tini Copronymi ſignificare: *Conſtantinus Leoni Perpetuo Auguſto multos annos;* niſi feliciter ita conjeciſſet Du Cangius. Etiam doctiſſimis hæret aqua in explicandis vocibus ΚΕΒΟΗ ΔΥΛΟϹΟΥ, dum ſufficienti inſcriptionum, de quibus nunc nobis eſt ſermo, notitia deſtituuntur. Id genus Inſcriptionum poſſes commode vocare *Acclamationes ſeu Benedictiones*, quæ votum pro ſalute, incolumitate ac victoriis Imperatoris in ſe complectuntur. Talis eſt in nummo Conſtantini: *Plura natalitia feliciter.* in Conſtantis: *Felicia decennalia.* in Theophili: ΘΕΟΦΙΛΕ ΑΥΓΟΥΣΤΕ ΤΥ ΝΙΚΑϹ. in Baduelæ: BADUELA FLUREAS ZEMPER. Subit hic memoriam elegans Antonini Pii nummus, qui locum meretur inter Acclamationes iſtas: *Senatus Populusque Romanus, annum novum fauſtum felicem optimo Principi Pio.* Hac enim ratione exponi oportet literas initiales. S. P. Q. R. A. N. F. F. *Optimo Principi Pio.*

Ita vero apud animum meum perſuadeor, ex jam dictis apparere ſatis, quodnam diſcrimen ſit Inſcriptionum apud antiquos & modernos. Non niſi breves Inſcriptiones convenire nummis arbitrabantur antiqui, & tales etiam, quæ plus haberent in receſſu; prolixiores vero incidebant ædibus publicis, columnis, arcubus triumphalibus & monumentis ſepulcrorum. Secus ac hodie Germani cumprimis & Batavi, qui lineas plurimas nummis inſcribunt, in quibus tamen nec majeſtatis quidpiam puritatisve aut brevitatis Romanæ eſt.

Sola nomina. Interdum non niſi ſimplex magiſtratuum nomen licet reperire, ut in Julio: *Q. Æmilius, Q. Fabius Bucca III. Vir A. A. A. F. F.* in Agrippa: *M. Agrippa Cos. deſignatus.*

Nomina monetariorum, quorum ingens reſtat numerus, in plurimis nummis comparent; quibus jungi poſſunt omnes Coloniarum Duumviri. Reliqui magiſtratus crebrius extant in Conſularibus quam Imperatoriis nummis.

Quan-

Quandoque non niſi Vrbium Populorumve nomina adſunt: *Sego briga, Cæſar Auguſta, Obulco* ΚΟΙΝΟΝ ΚΥΠΡΙΩΝ. *Sola nomina.*

Nonnunquam ſolum Imperatoris nomen, ut: *Conſtantinus Aug. Conſtantinus Cæſar;* Filio. *Conſtantinus nob. Cæſar.* &c. ubi perinde ſola vox *Auguſtus*. *apud du Cangium T. V.*

In quadam averſa (*revers*) nummi Conſtantii Chlori, ſolum numerum XC. VI. animadverti, quem & du Cangius tantum deſcribit, non explicat; veluti & in Conſtantini nummo ſolum monogramma vocis Χριςτός. *Ibid. T. I. & T. X.*

In inferiori Imperio his literis M. I. K. nihil eſt vulgatius, quas ego arbitror primordia eſſe vocum *Maria, Jeſus, Conſtantinus*, idque perſuadeor ex adjuncto crucis ſigno † †, tanquam nota pietatis ſucceſſorum Conſtantini M. qui novam a ſe conditam Romam Matri Salvatoris conſecraverat, ipſe per totum Imperium *Monogrammata.*

rium in Sanctorum numero habitus. Dantur etiam ſub idem tempus monogrammata Vrbium, veluti Ravennæ aliarumque, quæ inſpici velim in opere *du Cangii.* Sunt & in modernis talia nominum monogrammata, quæ videri poſſunt apud Stradam inde a Caroli M. ætate.

Figura. Quod nummorum averſas (*revers*) attinet, illas perſonæ figuræve, numerus, actio, resque ipſa rariores faciunt & pretioſas. Capita enim iſta, (*teſtes*) quæ in averſa non niſi talem figuram habent, quæ vel virtutem ſignificat, qua quis egregie meruit, vel Deitatem quandam, quam quis potiſſimum coluit, debent ad nummos vulgares referri, quoniam nihil ineſt illis, quod mereretur accuratius inveſtigari.

Capita. Probe hic oportet ut diſtinguantur invicem ſimplices figuræ, de quibus nunc eſt ſermo, & capita, quibus averſæ partes ſunt quandoque refertæ. Quemadmodum enim hæc capita ſunt fere ſemper ſive liberorum Conjugumve aut Collegarum Imperii

rii aut Regum denique ſociorum: Ita apud illos, qui nummorum notitiam habent, regulæ vim obtinet, quod nummi duobus capitibus conſpicui raro reperiantur, velut Auguſti caput in nummo Julii, Veſpaſiani, in Titi, Antonini in Fauſtinæ, Marci Aurelii in Lucii nummo &c. Vnde etiam id ſimul conſequitur ſtatim, quod nummus, quo plura habeat capita, eo adhuc etiam ſit rarior. Talis eſt Nero in nummo Neronis & Octaviæ, Severus in nummo filii ſui utriusque Getæ & Caracallæ, Philippus in nummo filii ſui & Conjugis, Hadrianus in nummo Trajani & Plotinæ &c.

Vniverſim itaque verum eſt, quod plures figuræ in parte nummi averſa eius adaugeant pretium, quando cumprimis rem aliquam geſtam ac ſingularem ſimul repræſentant. Exemplo ſit nummus Traiani: *Regna adſignata*, ubi tres Reges ad pedes Theatri, cui inſidet Traianus diademate ſingulos cingens, apparent. Congiarium Nervæ cum quinq; figuris: *Congiar.P.R.L.C.* Vna datur etiam Tra-

in Gaza Ducis Arſchotani.

Traiani *Allocutio*, in qua figuræ ſeptem; unaque Adriani ad populum, in qua octo, præter *Legenda*; alia ſurſus ad milites, in qua decem. Vnus Fauſtinæ nummus: *Puella Fauſtinianæ*, ubi duodecim aut tredecim & una Probi *Allocutio*, quæ duodecim figuris gaudet. *Vota publica* Commodi, ubi decem figuræ.

Nummus Epiſcopi de Pamiez.

Monumenta publica. Quod monumenta publica concernit, illa plurimum utique delectant in nummis repræſentata, præſertim ſi quid rerum geſtarum ſimul indicant. Ita templum Jani in nummo Neronis & Portus Oſtienſis rariora ſunt quam Macellum, tametſi ſtructura utriusq; non ſit nimiũ ſcita; quoniam illud pacem, quam ipſe univerſo Imperio conceſſit, indicat: *Pace Pop. Rom. terra marique porta Janum clauſit*; Cum hoc ex adverſo (nempe *macellum*) nihil aliud doceat, niſi quod idem erigi curaverit macellum in uſus publicos. Hæc inter tam egregia monumenta debet quoque referri Amphitheatrum Titi, columna

eius-

eiusdem navalis, templumque quod *Romæ & Auguſto* exſtruxit, trophæa Aurelii & Commodi &c. quæ prima omnium deprehenderunt curioſi.

Etiam ſuum ſtat animalibus pretium in nummis, quando illa habent aliquid peculiare. Sunt inter hæc ea, quæ Romam afferebantur ex Regionibus longinquis, ut eſſent populo in ſpectaculum, ludorum cumprimis ſecularium tempore; aut quando eadem ſignis Legionum inſerviunt. Ita enim videmus legionum Gallieni quaſdam cum hiſtrice, alias cum Ibi, Pegaſove. Nummi Philippi & Ottaciliæ *Seculares Augg.* eas exhibent beſtias, quas ſpectandas dederunt in ludis ſecularibus, quos cumprimis optabant in ſuum Imperium incidere, ut anſam haberent oſtendendæ protinus magnificentiæ, colligendisque populi animis, ob mortem Gordiani vehementer afflicti. Nunquam viſa fuerant antehac tot animalium diverſorum genera: Rhinoceros unus, triginta duo Elephantes, tigri-

Animalia.

Leg. XXX. Vlpia. III. Italica. II. Adjutrix.

tigrides decem ac totidem Alces,ſexaginta Leones perdomiti, Leopardi triginta, ac viginti Hyænæ,Hippopotamus unus & quadraginta equi feri & viginti onagri, totidem Archoleones,& decem Camelopardi. Figuræ quorundam apparent in nummis Patris matrisque & filii,& ea inter etiam Hippopotamus & Strepſikeros ex Africa miſſus.

Aquilæ, quæ & ipſæ in nummis Ægyptiorum reperiuntur, nihil quicquam habent peculiare, non magis quam lupa Romuli ac Remi, quorum imago in utriusque Imperii nummis ſæpiſſime occurrit. Dantur & Elephantes phalerati, in nummo Antonini Pii, Severi, aliorumque Imperatorum, qui tales adduci curaverunt, ut eſſent ſpectaculo, ibidemque quædam adhuc alia animantia longe illis rariora,neque temere alibi reperiunda. In teſtimonium hic voco Phœnicem,in nummis Conſtantini ac liberorum eius, ad exemplum Principum utriusque ſexus in Imperio ſuperiori, ad deſignandam videlicet ſub im-

immortalis iſtius avis imagine vel Imperii æternitatem, vel Principum Diis illatorum conſecrationem. Virgo *Patina* non ita diu abhinc egregiam diſſertationem eam in rem ſcripſit, ex qua honor plurimus ad patrem æque ac ad filiam redundat.

Videre ibi eſt etiam alia adhuc animantia, aves nimirum, piſces, monſtra efficta, & plantas antehac parum cognitas. De quo argumento egit prolixe Illuſtris *Spanhemius* in tertia *de Præſtantia & Vſu Numiſmatum* diſſertatione. Dignum Autore tanto hoc opus eſt, in quo vaſtiſſimæ eruditionis, ingenii & judicii, honeſtique Viri notas expreſſit clariſſime, ex quibus hæc potiſſimum deeſſe ſolet doctis ex vulgo, ſed quam demonſtravit ille tamen honorifica diſſentientium facta mentione. Vnde etiam Scriptorum omnium hodie cultum ac venerationem ſibi acquiſivit. Studium enim & ſolitudinis privatæque prorſus vitæ amor doctos plerumque efficit feroces, dum conſuetudo perpetua cum mortuis ami-

Spanhemii Opus.

citiæ honeſtatisque, quæ vivis debetur, oblivionem ipſorum mentibus inducit.

Principes utriusque ſexus in aversis. Id eſt præterea notandum, quod Principum virorum fœminarumq; facies, quorum caput integrum in una nummi parte eſt, ex altera etiam ſæpius appareat, vel ad pedes Deitatis unius vel Genii ſedentium, tanta arte cælata, ut, tametſi menſura ſeu (*volume*) exiguus admodum ſit ac tener, eadem tamen (*facies*) abſoluta partibus ſingulis queat conſpici, quæ in altera eſt. In exemplum ſint Nero in numo ſuo DECVRSIO; Hadrianus, M. Aurelius Severus, Decius &c. ſub figuris Deitatum, quæ ipſis fuerunt adjunctæ, ceu virtutum civilium militariumve ſigna.

Quomodo diſponi debeant aversa. Reſtat adhuc modus, ad quem diſponi debent nummi juxta varias imagines, ut ornamentum inde accedat Muſeis. Duplici hoc fieri poteſt ratione. *Semel* quidem ſimplici ſerie, qua id omne, quicquid ad unum Imperatorem ſpectat,

ctat, conjungitur invicem; aut *deinceps* ſerie hiſtorica, juxta temporum annorumque ordinem perque Conſulatuum ac Tribunitiæ poteſtatis decurſus. In ejusmodi ordinem Occo & Mezzabarba redegerunt nummos a ſe collectos. In quo id tamen tædio non caret, quod eandem multoties repeti oporteat imaginem, dum in diverſis licet annis iidem tamen ac maxime vulgares typi recurrunt.

Plus doctrinæ in ſe habet ille ordo, quem ſequitur *Oiſelius*, qui parum de eo ſollicitus, quod ſingulos Imperatores concernit, omnes averſas ad certas ſpecies curioſe reduxit; unde quicquid ad notitiam rei nummariæ ſpectat, velut ex pleno fonte hauriri poteſt. En! vero propoſiti ſui rationem, quam ego arbitror abs Golzio mutuatam formatamque propemodum juxta eum ordinem, quem hic titulis XXIV. *Theſauri* ſui *rei antiquariæ*, dedit, aut deſumtam potius ex Dialogis doctiſſimi Tarragonenſium Archiepiſcopi Antonii Auguſtini. *Antwerp.* *1686.*

Oiſelii Liber. Initio ſatis habet Oiſelius collocaſſe ſeriem capitum Imperatoriorum, quam potuit fieri abſolutam; Hanc excipiunt averſæ in quibus aliquid ad Geographiam ſpectans, & quod vel populos, Vrbes, flumina montes, provinciasve deſignat, exhibetur; quarum omnium octo tantum dedit tabulas, ſive adeo exemplum proponere voluit curioſis quod intuerentur, ſive plures ipſe non poſſedit nummos, de quibus proinde ſolum id diſſerit, quod novit.

Deinceps collegit Deitatum imagines ac Virtutum, quæ ſunt velut Deæ quædam ſecundi ordinis. Quales ſunt Conſtantia, Clementia, Moderatio &c. ex quibus ſeriem adornavit numeroſam ſatis.

Poſt eas videre eſt in quatuor tabulis cuncta Pacis, Ludorum, Theatrorumque ac Circorum, Donationum, Congiariorum, Magiſtratuum, Adoptionum, Conjugiorum, Adventuumque monumenta.

Sequentibus tabulis expoſuit omne id, quod bellum attinet, Legiones, Exercitus, Victorias, trophæa, Allocutiones, Campos, Arma, Signa &c.

Vni etiam tabulæ reſervavit quæ Religioni debentur, templa videlicet, aras, ſacerdotia, ſacrificia, inſtrumenta & ornamenta reliqua Augurum Pontificumque. Quorſum etiam peropportune potuiſſet referre Apotheoſeis ſeu Conſecrationes, de quib9 equidem agit ſed ſeorſim, denotatas vel aquilis, pavonibus, aris, templis, vel curribus demum a duobus aut quatuor elephantibus aut totidem equis mulisve protractis.

Tandem coëgit in unum omnia alia monumenta æternandæ Principum memoriæ erecta, qualia ſunt Arcus triumphales, Columnæ, equeſtres ſtatuæ, portus, viæ regiæ, pontes, palatia, ac plura ejus generis ædificia.

Id autem in iſthac nummorum collectione diſplicet valde, quod ea ratione invicem capita, metalla, ac magnitudines oporrteat commiſceri,

 & ta-

& tabulas fieri eo modo, qui perfici prorſus nequit.

Averſæ Metallionum. Quemadmodum igitur non niſi vel ob ſolemnia publica cudebantur nummi maximi moduli, ſive metalliones, vel cum dona eſſent populo exteriſve largienda; ita eorum etiam etiam averſæ ſemper aliquid referunt curioſi, ſecus ac fit in nummis vulgaribus, ac adeo vel triumphos vel ludos, vel ædificia, vel aliud denique quodpiam ac elegans monumentum rem alicubi geſtam illuſtrans. Quod ipſum tanta cum cura indagamus in nummis antiquis, jucundeque reperimus. *Erizzo* quid ſentiat de nummis talibus, aperuit ſatis. *Triſtanus*, Vir plurimæ lectionis doctrinæque multos æri curavit incidi, pulchrosque ſimul etiam dedit Patinus in Theſauro ſuo. A tempore Dn. *Carçavi* cœpti ſunt nummi, quos Gaza Regia in ſe continet, deſcribi, velut & Epiſcopus *de Pamiez* ſuos publicæ donavit luci, explicatione eorundem promiſſa; quæ, ubi prodibit,

bit, digna erit utique, quam magniſaciant curioſi.

Accidit nonnunquam, ut Epochæ temporum variæ conſpiciantur in nummis, notæque ſimul autoritatis publicæ, Senatus, Populi, & Principis; Signa etiam valoris, quem moneta ſuſtinet, ac loci, quo eſt illa cuſa, & monetariorum denique ac Vrbium. *Epocha varia.*

Non id negaverim equidem, has potuiſſe Præceptioni proximæ reſervari, utpote quæ de Inſcriptionibus aget, quarum illæ videntur quaſi partes quædam. Verum quandoquidem raro epochæ leguntur in circulo nummorum, ſed ſolum in ſuperficie (*champ*) aut ſaltem in ſubſcriptione (*dans l'exergue*) & quia ſæpe averſa pars non alia ſe commendat figura, quam characteribus ejusmodi; inde commodius putavi de iis hoc tractari quam alio loco.

Epochæ denotant annos Principum Vrbiumve, earumque ſeries jucundiſſima eſt omnium, ac normæ chronologicæ vicem *Epochæ Vrbium.*

obit; unde lux plurima accedit geſtis hiſtoricis. Harum ſuppetiis inſtructus tam egregie extricavit Vaillantius Syriæ Regum hiſtoriam, in qua parilitas nominum, queis Principes iſti gaudent, multas alioquin efficit turbas; iisdemque adjutus Noriſius celeberrimus Vir ac Magni Florentiæ Ducis Antiquarius, multa detexit obſcura hactenus in egregio opere, quod *de Epochis Syromacedonum* conſcripſit, Florentiæ 1690. editum.

Epochæ officiorum. Verum eſt, quod huic ſtudio plus impenderint curæ Græci, feliciores in eo Romanis, quodque exactiora ſint primis ſeculis poſteriora, quandoquidem Romani non niſi epochas vel Conſulatus vel Poteſtatis tribunitiæ nummis inſcripſerunt, quarum neutra tamen omni dubio caret, dum non ſemper annos imperii ipſorum ſeqvuntur, ac raro etiam anuni Conſulatuum annis tribunitiæ poteſtatis reſpondent. Hæc ſcilicet annua erat; ſed enim utut ex adverſo Imperatores non ſemper

Con-

Conſulatum gererent, tamen unius alteriusve Conſulatus intervallum, plurium licet ſæpe annorum, retinebat ſemper epocham ultimi Conſulatus. Exemplo ſit Hadrianus, per plurimos annos in nummis dictus Conſul III. ſic, ut ea ratione certus ordo fieri nequeat ob varios nummos, qui ab anno V. C. DCCCLXXII. quo tertium Conſulatum iniit, ad mortem usque ipſius, quæ annis demum viginti poſt contigit, fuerunt facti.

Græci e contra annos Imperii Principum ſingulorum exacte connotarunt, usque etiam ad infimum imperium, in quo perinde epocharum pleni ſunt nummi, præſertim ab ætate Juſtiniani. De Imperatoriis ſolum hic mihi eſt ſermo. Non enim me latet, omnes illos, quos Golzius exhibuit, ſaltem aliquot urbibus exceptis, nulla gaudere epocha, eandemque rem crucem ſubinde figere Chronologis. Quod Reges attinet, ſæpius epochæ Imperii ipſorum reperiuntur in nummis. *Harduinus* in *Antirrhetico* ſuo p. 72. Epochas Ju- *Epochæ Imperii.*

bæ Numidarum Regis in nummis deprehendit, quarum una deſignat annum XXXII. aliæ XXXVI. XL. XLII. & XLV.

Epochæ Coloniarum. Coloniæ quoque epochas ſuas collocabant in nummis, quod patet ex Colonia *Viminacium* in Mœſia, quæ, ſub Gordiano cum eſſet deducta primum, notavit annum I. II. &c. ſub Philippo annum VII. &c. ſub Decio annum XI. &c.

Epochæ ætatis. Toynardi Diſſertatio. *Toynardus* novum revelavit myſterium, dignum tanti Viri ſtudio, ac ea ingenii luce, quam argumentis, quæ ſibi ſumit pertractanda conſuevit affundere. Monſtrat ille enim non ſolum annos regni Imperatorum in nummis reperiri, ſed & annos ætatis ipſorum; de qua re ne per ſomnium quidem quisquam unquam cogitavit. Probatque hanc ſententiam ſuam ex nummis potiſſimum Commodi, in diſſertatione, quam edidit, peculiari. Fortaſſis plura ſuperſunt ejus rei exempla tametſi nondum obſervata ſatis.

Græ-

Græciæ Civitates Imperio ſubjectæ delectabantur cumprimis epocha ſingulari, denotante honorem illum, quo fuiſſent *Neocores*, hoc eſt, quod habuiſſent templa, in quibus peracta ſacra totius provinciæ pro Salute Principis ſolemnia, & quod habuiſſent Amphiteatra, in quibus ludi publici, ac certamina, ex conceſſu Principis Senatusve frequentata, quos ideò implorabant inſtanter, multum gauviſi, ſi plus una vice poteſtas agendorum ludorum fiebat, dabantque operam, ut ejus memoria in nummis conſervaretur. *Neocores.*

Duplici fere hac ratione deſignantur Epochæ. Semel quidem integris vocibus ΕΤΟΥϹ ΔΕΚΑΤΟΥ &c. expreſſis; Crebrius vero ſimplici numerorum nota & vocabulorum primordiis: E. ſive ET. A. B. &c. Utplurimum autem litera L. quæ ex mente antiquariorum notat λυκάβαντος. Vocem hanc poetis propriam & *annum* ſignificantem, neſcit Græcorum vernacula, uſitatam *Notæ Epocharum.*

tatam

tatam magis in Ægypto quam Græcia, ſiquidem ea etiam in nummis illius regionis fere ſemper reperitur. Datur enim elegans *Canopus* in averſa Antonini parte additis literis: ΕΤΟΥC. B. & ejusdem alius, cum hiſce: L. ΕΝΑΤΟΥ. plurimique præter eos alii ſolis numeris L. Ξ. L. H. L. IΓ. conſpicui ſimul cum figura Æquitatis, capitibus Serapis & Delphinis tridentem cauda ambientis.

apud Patinum.

Epochæ Vrbium ſimplici ſolum numero absque E. aut L. ſemper deſignantur, quos inter ille, qui ultimum locum occupat, primus omnium eſt. Sic in nummis Antiochiæ Δ. M. non M. Δ, ac in uno Pompeiopoleos, in cuius parte altera eſt Arati, in altera Chryſippi facies, non C. K. Θ. ſed Θ. K. C. legi debet; id eſt: In Imperio CPltano epochæ latinis numeris ſunt ſignatæ anno III. V. VI. &c. a Juſtiniano usque ad Theophilum & (*le champ*) nummi aream duabus lineis

neis deorſum ductis occupant; velut videre eſt in Juſtino

A
N K X
N
O

in Juſtiniano

A †
N I X
N X
O III.

& ſic in reliquis. Sunt & alii, in quibus *τὸ anno* eſt conſveto & recto ſcripturæ modo in ſuperficie collocatum, uti in Phoca & Heraclio. Poſt Theophilum vero nec Latinæ amplius reperiuntur nec græcæ Epochæ.

Indictiones. Quin & Indictiones deprehendi aliquando adſcriptas, in quodam ſcilicet Mauritii nummo, ubi extat: IND. II. Vnde cæpit animum ſubire, quaſi forte talis intelligi debeat in Germanici nummulo, quo legitur INDVT. III. quæ verba nemo hactenus potuit capere ſatis, ſed ego arbitro ſignificare aut Indictione VIII. aut XIIII. litera T. ex errore monetarii

tarii adpoſita, quale quid occurrit non raro, ac neque clare etiam ſatis expreſſa. Verum quoniam illi, qui rei nummariæ callentiſſimi ſunt, hunc nummum adjudicant Imperio ſuperiori, id autem meæ ſententiæ adverſatur, oportet, ut feliciori Oedipo relinquam quicquid hoc eſt conjecturæ.

Quid ſignificent literæ S. C. Δ. E.

Notæ autoritatis publicæ in averſa parte extantes, niſi ſint forte ſimul Legendis aut Inſcriptionibus adjunctæ, ſunt: vel S. C. Δ. E. vel *Populi juſſu*, vel aliæ his ſimiles, quas paulo poſt explicabimus. Sed enim non conjici ſtatim poteſt, quid eædem ſemper ratione nummi ſignificent.

Hiſtoria nummorum.

Initium fiat a literis S. C. quibus ſunt qui contendunt confirmari valorem probitatemque metalli, qualis nimirum debebat eſſe monetæ vulgaris. Alii contra pretium & pondus metalli per eas ſtatui; & rurſus alii, quod illæ indigitent, juſſu Magiſtratus nummos eſſe factos in honorem Imperatoris, idque inde patere

tere quod ſemper in adverſa parte appareat illud S. C. Verum iſthæc omnia dubio non carent.

Si enim verum eſt, S. C. eſſe genuinæ monetæ notam, quare ea reperitur fere nunquam in nummis aureis argenteisque, neque ſemper in ære minimo, etiam in ſuperiori Imperio ac ſtante Republica, cum autoritate magna polleret adhuc Senatus?

Non temere dixi, *fere nunquam*; ſiquidem dantur quidam Conſulares, in quibus S. C. legitur, velut in familia *Norbana, Mincia, Meſcinia, Maria, Terentia* &c. ut eos prætermittam ſilentio, qui ſic habent, *ex* S. C. quod potius ad typum quam ad nummum referri poſſet. Exemplo ſit nummus in familia *Calpurnia ad frumentum emendum ex S. C.* quo innuitur, juſſos à Senatu Ædiles coëmere frumentum. Etiam inter Imperatorios argenteos ſunt aliqui iſto *ex S. C.* conſpicui, ſed nunquam S. C. quod in ære ſolum comparet. Vnde ita habeo, eam notam prorſus non eſſe monetæ vulgari propriam.

Eadem

Eadem ratio prohibet, quo minus aſſerere audeam, probitatem metalli aut pretium hoc S. C. indicari, quandoquidem notæ ſuperſunt aliæ multo certiores, de quibus etiam ſuo agemus loco.

Non magis verum eſt, eam notam eſſe nummorum, quos Senatus vel honoris vel gratitudinis erga Principes demonſtrandæ cauſa feciſſet cudi. Inde enim oporteret concludere, Senatum non niſi æreos fieri curaſſe nummos, id quod ne vero quidem ſimile eſt. Ac neceſſe foret adeo, ut nummi maximi moduli (*Medaillons*) in eam rem ac ſtudium cuſi ſemper exhiberent iſtud S. C. cum tamen præter Trajani, Decii ac Philippi filii, quos affert Patinus, non meminerim abs me ullum talem fuiſſe unquam viſum.

in Theſauro ſuo p. 127.

Tribun. poteſtate. Quod Δ. Ε. ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ ΕΞΟΥCΙΑC ac alia vocabual, quibus nomen autoritasque populi indicatur, concernit, non oportet, ut tyro curioſus ea quæ

hanc

hanc in rem Vaillantius & Harduinus prolixe dixerunt, ſtatim amplectatur. Sufficit enim ut ſciat, quod, quoties in nummis appareat *Populi juſſu* aut S. P. Q. R. aut *conſenſu Senatus & equeſtris ordinis populique Romani*, ea verba referri debeant ad ſtatuas aut monumenta alia in gloriam Principum, quorum nummi Romæ cuſi ſunt, exſtructa. Sed enim hæc verba: *Permiſſu Auguſti*, in Vrbium Coloniarumve nummis, indicant confeſtim ac præter omne dubium jus ac poteſtatem cudendæ monetæ iſtis urbibus ab Imperatoribus factam ex gratia peculiari; quam proinde ut demonſtrarent ſe agnoſcere, in teſtimonium ea ſolebant addere verba. Exemplum ſit Vrbis *Patræ* nummus ille, quem exhibet *Seguinus*: *Indulgentia Auguſti moneta impetrata*.

Crebrius adhuc conceſſiones iſtæ ab inferioribus Magiſtratibus Coloniis datæ reperiuntur, ut, *permiſſu Dolabellæ Proconſulis*; & in alio nummo: *Permiſſu Aproni ProCoſ. III.* quibus verbis vel *Vaillant. T. I. Tiberius. Druſus.*

G pote-

poteſtas faciundæ monetæ, aut uſurpandi Coloniæ nominis, aut exſtruendi ædificii, denotatur. e. g. Altare, quod providentiæ Auguſti erigebatur in Hiſpaniis, & extat in nummo quodam ipſius: *Municipium Italica, providentiæ permiſſu Auguſti.*

Nomina Vrbium. Nomina Vrbium, in quibus nummi cuſi, quam ſæpiſſime occurrunt utriusque Imperii ætate, eo tamen diſcrimine obſervato, quod in ſuperiori ea legantur cumprimis in Legendis, aut Inſcriptionibus, in inferiori vero atque poſt Conſtantinum ſemper in Subſcriptione (*dans l' exexgue*). Ita ſcilicet P. T. *percuſſa Treveris.* S. M. A. *Signata moneta Antiochiæ.* CON. OB. *Conſtantinopoli obſignata* &c. cum tamen in Imperio ſuperiori nomina urbium nulla ſui parte manca legantur; ut *Lugduni* in Antonii, Αντιοχειον in Græcis Coloniarumque nummis.

Notæ monetariorum. Tandem habuerunt & Monetarii peculiares notas, quibus ſuam ſinguli monetam diſtinxerunt

xerunt invicem ab aliis, ac locum ipſum, quo dabant rei nummariæ operam. Hac ratione faciles fiunt explicatu characteres minoresque figuræ aliæ reperiundæ in nummis, non poſt Gallum & Voluſienum ſolum cuſis, ſed in ipſis etiam Conſularibus.

Docuit me *Morellius*, ultra ducentas ejusmodi notulas monetariorum diſtinctas invicem a ſe deprehenſas fuiſſe, quæ, niſi dicto jam modo, exponi plane non poſſint; quibus ſi jungere vellemus iſtas inferioris imperii, plurimum augeſceret numerus. Nollem tamen inde ignorantiæ exſtrui aſylum, & frena laxari quorundam ſocordiæ, qui, ut ſuperſedere promtius queant opera ulterius indagandi, ſtatim ad tales monetariorum notulas confugiunt. Dum vero majus impenderunt inquirendæ ei rei ſtudium *Vaillantius* & *Harduinus*, ille neſcio quodnam ſymbolorum parvorum myſterium inde elicuit ac revelavit, & hic deprehendit, literas A. B. Γ. Δ. in nummis Imperatorum

ſæpiſſime occurentes eſſe notas monetariorum unius ejusdemque urbis diverſorum, quos nominetenus ſingulos legere eſt ſæpe in nummis antiquioribus, ut Juliani Apoſtatæ *Officina Lugdunenſis*, Mauricii, *Vienna de officina Laurenti*, Valentiniani, *officina III. Conſtantinopolitana.* Vnde cenſet ille porro, cifras denarium numerum non excedere, præterquam in Vrbe Conſtantinopoli & Antiochia, utpote in quibus major monetæ copia cudebatur quam in reliquis urbibus Imperii totius; Vnde etiam ibi in officina monetaria plures oportebat adeſſe operarios.

Harduinus in Antirrhetico p.16. & 17.

Tam evidenter hæc jam oſtenſa ſunt & evicta, ut nemini temere liceat diſſentire. En! vero exemplum ejus inventi, quod doctiſſimo huic Viro debemus, facillima ratione plurimos iſtiusmodi characterum illuſtrans, quos niſi quis velit notas arbitrarias vocare, explicare alias prorſus non poterit. Scilicet in Juliani nummo B. S. L. C. *Signata Lucduni τὸ* B. quod exponi alioquin non conſuevit,

vit,ſignificat *in officina ſecunda.* In Valentis nummo SISCPZ *Siſciæ percuſſa, τὸ* Z idem eſt ac *in officina ſeptima.* Et eodem modo in quammultis aliis, in quibus literæ nonnunquam græcæ & quandoque latinæ conſpiciuntur.

Notas denique valoris,quem nummi habent, indices oportet ut exponam,quas non eſt tamen niſi in Conſularibus,ac neque in his etiam ſemper, invenire. Tales ſunt X, V. Q. S. L-L-S. *τὸ* X ſignificat denarium, qui valebat *denos æris.* V. velut & Q. indigitat Quinarium ſeu *quinos æris.* S. *Semiſſem,* L-L-S. *Seſtertium* ſive duos aſſes cum dimidio. *Notæ valoris monetæ.*

Nulla iſtiusmodi notarum, præterquam forte S. quorundam Conſularium,apparet in ære; longe vero crebrius numeri punctorum certi in utraque parte, ſed non ultra tamen quatuor, quæ tertia pars aſſis eſt, in duodecim minutiores partes diſſecti, quas vocabant *Uncia, Sextans, Dodrans, Quadrans, Triens.* Ita vero Sextans . . notabatur, *Triens* . . . *Qua-*

drans....&c. & *aſſis* totus per O. aut L. *Libra*, quæ pondus deſignat.

Commutatio Valoris. Commutatio valoris certis temporibus promulgata, novis cifris ſolebat indicari. Videmus enim ex eo, quo, e. g. denarius ad valorem ſedecim aſſium fuit confirmatus autoritate publica, notam XVI. & in Quinario VIII. ac in Seſtertio demum IIII. Etiam ſic in familia *Titinia & Valeria* numerus XVI. non obſcure eſt expreſſus. Antonius Auguſtinus a ſe viſos quidem affirmat Quinarios numeris VIII. inſignes, ſed nunquam ullum Seſtertium cum IIII.

Optaverim equidem lucem abs me affundi poſſe, cifris iſtis, quas in familiæ *Tarquitiæ* nummis licet intueri, ubi XXXI. & in *Mariæ*, quorum quidam una facie ſpectandum exhibent agricolam duos boves ducentem ac ſubtus XXVIII. S. C. & altera eundem typum atque XXXXIII. Inde enim procul dubio illuſtrari ſimul poſſent iſti M. Antonii nummi, quorum inſigne eſt Leo greſſu incedens, additis verbis: *Lugduni A. XL. A. XLI.* &c. ac

ac alii præterea in Imperio inferiori cuſi, in quibus XXIII. XXX. XXXX. XXXXIIII. XXXXV. quas notas ut quis forte epocharum ſigna putare velit, obſtat tamen, quod perinde additum ibi videtur ANNO I. II. III Quandoquidem igitur nec verſatiſſimi in hoc ſtudio Viri, quid ſibi velint tales notæ, vel conjiciendo valuerunt hactenus aſſequi, inde habet, quo acquieſcat interim tyro. *Tiberius.* *Conſtant.* *Phocas.*

PRAECEPTIO VI.

De Inſcriptionibus, quas Legenda nummorum appellant.

ANtiquos veroſimile eſt id ſpectaſſe cumprimis, ut & imaginum ac emblematum ſimul vices obirent nummi; iſtisque ut plebs delectaretur, cui ingenium plerumque craſſius eſt, his vero occuparentur præſtantiores viri, queis melior mens ac in rem ipſam altius penetrans data. Extiti

itaque imaginum uſus ad repræſentandas Principum effigies; Emblematum vero, ut ex illis Virtutes eorundem actionesque ſingulares addiſcerentur. Inde porro quaſi anima nummi eſt Inſcriptio, quæ figuris, tanquam corpori ſuam dat vitam, æque ac comparatum eſt cum emblemate, cujus anima velut eſt Inſcriptio, (*la deviſe*) qua non adpoſita mutum illud eſt, ac nequit intelligi. e. g. In quodam Auguſti nummo duæ videntur manus invicem ſibi junctæ, caduceumque inter duo Amaltheæ cornua inſerentes. En corpus nummi. Vocabulum *Pax* adpoſitum pacem deſignat eam, quam Auguſtus Reipublicæ reſtituit, poſtquam cum M. Antonio in gratiam rediiſſet, unde felicitas ac copia rerum reducta fuerat Romam. Cum ex adverſo junctæ ſimiliter manus in Balbini ac Pupieni nummo indicibus vocabulis: *amor mutuus Auguſtorum* mutuam ſignificent utriusque hujus in imperio adminiſtrando Collegæ voluntatem; eædemque porro in nummo Nervæ, addita voce: *Concordia*

cordia exercituum, fidem militum novo Principi promiſſam oſtendant.

Vt vero iſtud myſterium adhuc manifeſtius fiat, in memoriam revocari debet diſcrimen, quod ſtatuimus ſupra, *Legendum* inter & Inſcriptionem; quo, poſterioris, nomine ea ſolum veniunt verba, quæ alteram nummi partem figurarum loco occupant. Vnde palam eſt ſtatim, ea vocari a nobis *Legenda*, quæ in circulo nummi leguntur explicationi figurarum inſervientia.

Diſcrimen inter legendum (la legende) *& Inſcriptionem.*

Eo ſenſu oportet, ut duobus Legendis, quot nimirum ſunt ejus partes, quilibet nummus gaudeat. Primum Legendum notitiam perſonarum efficit, earumque nomen, ac officia, aut alia denique cognomina, virtutibus parta, indicat. Alterum vero in id eſt deſtinatum, ut rectius queant capi perſonarum Virtutes resque geſtæ, ac monumenta alia & beneficia demum, quibus ipſæ ornaverunt auxeruntque Rempublicam. Sic Antonini nummus in una

Duo Legenda ſunt in unoquoque nummo.

faciei parte his verbis: *Antoninus Auguſtus Pius. Pater Patriæ. Trib. Pot. Coſ. IIII.* & nomen officiumque ejus oſtendit; in altera tres figuras, quarum *iſta* Imperatoris eſt in theatro ſedentis, *illa* fœminæ ſtantis, ac manu tenentis copiæ cornu, ac præterea chartam quadratam, cum numero punctorum certo: *hæc* denique eſt figura quaſi ejus, qui ſe offert largitori tunicam protendens & velut aliquid recepturus. Earum vero omnium explicatio fit Legendo: *Liberalitas quarta.* Vnde patet, Antoninum quartum donationem dediſſe populo, certos frumenti medios diſtribui curantem pro familiæ cujusvis neceſſitate atque inopia.

Sed enim non ita univerſim hæc vera ſunt, aut exceptione omni majora, quin ſubinde officia perſonarum, ſive cuncta illa ſive ex parte diſtinguantur in averſa (*revers*) æque ac in capite, (*teſte*) aut quin eadem ſoli imagini addita videantur; in quibus etiam nomen ipſum, tametſi non ita frequenter, ſolet reperiri, Auguſti v. g.

Con-

Conſtantini, ejusque liberorum ac aliorum denique plurium, prout eſt jam a nobis dictum. Mille exempla diſtinctionis, de qua loquimur nunc, honorum, officiorum, & titulorum ſuperſunt. In quodam Julii nummo & capitis quidem parte, hæc verba: *Cæſar Imper. quartum;* ſed in altera; *Augur. Pont. Max. Coſ. quartum. Dictator quartum*, extat. In nummo Antonini, hinc; *Antoninus Aug. Pius. Pater Patriæ. Trib. Pot.* XV. illinc Coſ. IIII. & nihil amplius. In alio; Trib. Pot. XXI. Coſ. IIII. In nummo Hadriani hinc: *Hadrianus Aug. P. P.* illinc: *Trib. Pot. Coſ.* II. Titulus *Pater Patriæ* communiter extat in capitis parte, quemadmodum etiam officium Cenſorium; titulus vero Auguris ac Pontificis Maximi, aliique tales ſemper in averſa parte comparent, quoties dignitatum iſtarum ſymbola ibidem ſculpta ſunt; qualia ſunt fere Inſtrumenta Pontificalia in Veſpaſiani ac Vitellii nummis, tripus nimirum, delphin ac cornix, XV *Vir. Sacr. Fac.*

Officia. Hæc officia alia ratione in familiarum ac in Imperatoriis nummis conſpiciuntur propoſita & collocata. In familiis enim non niſi particularia officia dantur viſenda; velut IIIVirorum monetariorum A. A. A. F. F. & IV-Virorum ſub Julio. III-Virorum
F. Æbutia. Sanitatis, Acilius III-Vir, Vale-
Cæcilia. tudinarius. II-Virorum aut
Cornelia. *Æmilia.* III-Virorum pro Coloniis, VII-
Aliena. Virorum, qui & epularum ma-
Antonia. giſtri; *Curator denariorum Flandorum;* Ædilium, Quæſtorum, Legatorum &c. Sed in Imperatoriis officia extant majora, velut *Augur, Pontifex Maximus*, quibus qui ornabantur ſummam ſimul rerum omnium ſacrarum poteſtatem obtinebant, ſervatam deinceps ab Imperatoribus cunctis, ab Auguſto nimirum, ad Gratianum & ad illud usque tempus, quo plane ejecta fuit paganorum religio. Tituli vero iſti: *Tribunitia Poteſtate, Conſul* & interdum etiam *Proconſul,* non dabantur facile niſi cum abeſſet Imperator Vrbe, quoniam cenſebantur illi ſub *Imperatoris* appellatione com-

comprehendi, idque durante Imperio ſuperiori. A Trajani enim ætate ſolum in Diocletiani,Maximiani & Conſtantini nummis reperiuntur. Obſervari hic probe meretur, Imperatores dediſſe operam, ut nomen ac dignitas Conſulis, tanquam priſtinæ libertatis inſtar, conſervaretur,tametſi tunc non fuerit, niſi inane nomen, ac vana quædam autoritatis ſpecies; præterquam ſi forte Imperator ipſe ſibi illud aſciſcebat,ſive ſolus ſeu cum Imperii Collega. Sed enim exſpiravit tandem prorſus honor iſte Juſtiniani ævo, utpote qui eum Imperatoriæ dignitati conſociavit; ſic ut poſt ipſum nullus Imperatorum conſtituerit Conſules, nec id nominis aſſumere ipſius aut alteri voluerit dare.

Id tenendum eſt porro,quod, quando nummi capitibus carent, res geſtæ in iis repræſentatæ locum eorundem expleant, & inde Legendum averſæ partis ſpecies inſcriptionis evadat. Patet id ex nummo Tiberii, eapropter cuſo, quod urbes Aſiæ motu terræ concuſſas dirutasque *Res bene geſtæ.*

que

que curaverat refici,in quo exhibetur ipſe Sellæ Curuli inſidens additis verbis: *Civitatibus Aſiæ reſtitutis*, & in aversa parte ſolum iſtis: *Tiberius Cæſar Divi Aug. Filius Auguſtus Pont. Max. Tr. Pot.* XXI.

Apparet hinc ſtatim ex jam dictis, non eſſe mihi niſi de nummis Imperatorum Regumve ſermonem. Quod enim Vrbium Provinciarumque nummos attinet, quemadmodum caput utplurimum Genius urbis aut provinciæ eſt, aliusve Deitatis inibi cultæ, ita Legendum quoque non eſt aliud quicquam, niſi Vrbis provinciæve aut Deitatis nomen, aut utriusque ſimul. Αντιοχεων, Συρακοσιων, &c. Ζευς Φιλιος Συρακοσιων, Ηρακλεους Θασιων &c. Sive adeo ut Vrbis nomen in parte averſa collocatum ſit, & illud Deitatis capiti remaneat, ſive etiam, ut urbis nomen vicem Legendi obeat ratione adpoſitæ Deitatis, ut Καταναιων Jovi Hammoni Μεσσανιων Herculi &c.

In

In eorundem nummorum averſa parte ſemper aliquod Vrbis ſymbolum eſt, ſæpe absque Legendo, ac crebrius adhuc cum Vrbis, interdum etiam Magiſtratus cujusdam, nomine; ut Ανυρινοιων επι Σοπατρου &c. Sic ut non longe ſit aberraturus a vero, qui, Legendum iſtiusmodi nummorum regionis indicem eſſe, velit affirmare. Prorſus autem alia ratione res feliciter geſtæ in averſa nummorum parte conſpiciuntur propoſitæ, ſive ex vero *(au naturel)* ſive per ſymbolum, quod ex Legendo ſuam fœneratur lucem. Prioris modi exemplum ſit, quando Trajanus ſpectatur, Parthorum Regis capiti imponens coronam, *Rex Parthis datus.* Poſterioris vero, quando Julii Cæſaris, Auguſtique victoria ſub Crocodili figura datur conſpicienda; *Ægypto capta.* Etiam in Hadriani nummis videre licet omnes iſtas provincias, quæ ipſum ceu Reſtauratorem agnoverunt, & has ſimul, quæ id honoris genus denegarunt, imaginibus ſymbolorum expreſſas, quem-

quemadmodum id palam eſt ex Legendis: *Reſtitutori Galliæ, Reſtitutori Hiſpaniæ* &c. Sic & porro diverſæ victoriæ denotantur coronis, palmis, tropheisque & ſimilibus ſignis, beneficio legendorum invicem diſtinguendis applicandisque. *Aſia ſubacta* Auguſti, *Alemannia devicta* Conſtantini junioris, *Judæa capta* Veſpaſiani, *Armenia & Meſopotamia in poteſtatem populi Romani redactæ*, Trajani; aut ſolum, *de Germanis, de Sarmatis*, M. Aurelii. Legenda enim ſimplicia plurimum ſæpe habent dignitatis.

Convenientia Legendi propria cum typo.

Miſſis itaque interim capitum Legendis, quæ deſtinata ſunt indicando nomini, ſive ſoli, ut *Brutus, Athala, Cæſar*, ſive officiis juncto, ceu modo diximus; Cætera Legenda meræ ſunt explicationes ſymbolorum in nummis apparentium, quorum ope demonſtrari poſſe creduntur Principum Virtutes, eventusque vitæ ipſorum ſingulares, honoresque iisdem redditi, & beneficia,

çia, queis exornarunt Rempublicam, gloriæ porro ipſorum monumenta, ac Deitates tandem præ cæteris cultæ habitæq; in Tutelarium vicem. Quoniam igitur, ceu patet ex jam dictis, averſæ nummorum partes refertæ ſunt rebus ejusmodi, etiam Legenda tanquam clavis earundem debent cenſeri, ſine quibus intelligi illæ ſatis nequeunt, in antiquioribus potiſſimum ſeculis, iisque præterea regionibus, in quibus alii longe mores viguerunt.

Inde eſt etiam, quod cæteros excellant ſuperioris Imperii nummi, quippe quorum typi non ſine cauſa ſunt perſonis adplicati; cum ex adverſo in inferiori cunctis promiſcue Imperatoribus & ex conſuetudine potius quam pro meritorum jure fuerint conceſſi. Teſtes mihi ſunt: *Gloria exercitus. Felix temporum renovatio* &c.

Quemadmodum autem Virtutes, quas ob amati cumprimis Principes cultique a populo fuerunt, ſæpiſſime averſas nummorum partes *Virtutes.*

 occu-

occupant, ita perinde communiora cæteris legenda haberi debent iſta, queis indigitatur quænam illa ſit Virtus, modo ſimplici nomine, ut in Tiberio, *Moderationi, Clementiæ, Juſtitiæ;* modo, ut in Claudio, adplicatione ipſarum ad Principes facta vel nominativo vel Genitivo caſu, *Spes Auguſta, Spes Auguſti, Conſtantia Auguſta*, aut *Conſtantia Auguſti,* liberaque adeo caſus uſurpatione; itemque *Virtus Aug.* aut *Virtuti Aug. Clementia* aut *Clementi* &c.

Honores. Honores Principibus habiti in cognominibus ambitioſis ac publice datis conſiſtunt, ut ita, ſi quod facinus ſingulare patraſſent, aut in quo aliis eminerent, palam fieret. Cum cura enim debent illi ea ratione diſtingui a monumentis publicis, teſtibus gloriæ ipſorum clariſſimis. Hoc ſenſu non poſſunt niſi per Legendum exprimi, cujuscunque illud etiam ſit partis. In utraque enim reperitur elegans iſte e. g. Trajani titulus: *Optimo Principi, Commodi Felix;* quem ille titulo *Pius* aſſociavit, retentum dein-

deinceps a ſucceſſoribus: Iſti porro, qui ſunt triumphatarum provinciarum indices, veluti *Britannicus, Armeniacus, Dacicus, Parthicus, Parthicus Maximus, Germanicus, Adiabenicus* &c. interdum capiti adpoſiti videntur, ſæpe etiam in parte adverſa, cum in hac e contra tituli, qui magnitudinem ipſorum denotant aut potentiam, extent ſemper, ut: *Genio Senatus, Genio exercitus, Genio populi Rom. Reſtitutori orbis terrarum, Debellatori gentium barbararum. Locupletatori orbis terrarum.* Veruntamen *Genitrix orbis, Mater caſtrorum, Mater Senatus, Mater Patriæ* in capitis parte interdum, utplurimum vero *Pater Patriæ* reperitur.

Antoninus, Decius, Hadrianus, Conſtantinus, Hadrianus, Fauſtina junior. Julia Pia.

Honores poſt mortem habiti Principibus in eo conſiſtunt, quod numero Deorum fuerunt inſerti, & exponuntur vocibus *Conſecratio, Pater, Divus & Deus. Divo Pio. Divus Auguſtus Pater. Deo & Domino caro.* Quandoque etiam circa templa & aras hæc verba: *Memoria felix.*

Conſecrationes.

Memoriæ æternæ. Fœminis autem principibus additum *æternitas*, aut *ſideribus recepta*, & in parte capitis, *Diva* aut Θεα.

Beneficiorum communium exempla. Legenda, quæ commoda Vrbibus Imperioque ac provinciis data indicant, brevia ſunt admodum ac ſimplicia, ſed magnifica ſimul tamen. Exemplo ſint: *Conſervator Vrbis ſuæ. Fundator pacis. Rector orbis. Reſtitutor Vrbis, Hiſpaniæ, Galliæ* &c. *Pacator orbis. Salus generis humani. Gaudium Reipublicæ. Gloria Rom. Hilaritas pop. Rom. Lætitia fundata. Tellus ſtabilita. Exuperator omnium gentium. Gloria orbis terræ. Bono Reipublicæ nati. Gloria novi ſeculi.*

Maxentius, Sept. Severus, Aurelianus, Sept. Severus, Hadrianus, Auguſtus, Conſtantinus, Theodoſius junior. Victor.

Galba. Altius adhuc quid ſpirant ea verba: *Roma renaſcens. Roma reſurgens. Libertas reſtituta.*

Beneficiorum particularium exempla. Sed enim magis diſtincte benefacta particularia ſunt expreſſa, veluti: *Reſtitutor monetæ. Remiſſa ducentiſſima Quadrage-*

Alex. Se-

 ſima

ſima remiſſa. Vehiculatione Italiæ remiſſa. Fiſci Judaici calumnia ſublata. Congiarium Pop. Rom. datum. Puellæ Fauſtinianæ. Via Trajana. Indulgentia in Carthaginenſes. Reliqua vetera HS. Novies millies abolita; h. e. 22000000. *Plebei Vrbanæ frumento conſtituto.* *Verus, Caligula, Nerva, Domitianus, Sept. Severus, Hadrianus, Nerva.*

Dignoſcuntur etiam præterea ope Legendorum ea, quæ ſingulis provinciis acciderunt, communibus ſolum ſymbolis repræſentata. e. g. Victoria cum trophæo, aut palma, aut corona, non poteſt niſi vocibus: *Victoria Germanica, Victoria Navalis, Victoria Parthico, Prætoriani recepti, & Imperatore recepto,* determinari, quæ felicem Claudii a militibus receptionem quaſi digito commonſtrat. Sic gratia Neroni in Collegia Sacerdotum cuncta recepto facta, hac ratione: *Sacerdos cooptatus in omnibus Collegiis ſupra numerum. Pax fundata cum Perſis.* Sub mortem Gordiani quod Tarraconi acciderat miraculum, viſa *Eventus ſingulares. Veſpaſianus, Marc. Aurelius. Philippus.*

palma ex ara Auguſti progerminante, nummo fuit impreſſum cum quatuor literis: C. V. T. T. *Colonia Victrix Togata Tarraco.* Quam rem in jocum deinceps vertitit Imperator.

Monumenta publica. Etiam publica monumenta notata ſunt ac diſtincta Legendis, ita quidem, ut ea, quæ Principes ipſi fieri curaverunt, genitivo aut nominativo caſu ſint poſita, hæc vero, quæ in ipſorum honorem cuſa aut dedicata fuerunt ab aliis, caſu dativo. *Macellum Auguſti. Baſilica Vlpia. Aqua Marcia. Portus Oſtienſis. Forum Trajani. Templum Divi Auguſti reſtitutum.* quoniam ædificia iſta exſtruxerant Nero, Trajanus & Antoninus. Aſt enim *Romæ & Auguſto, Jovi Deo, Divo Pio, Optimo Principi,* ſolum templa in honorem Auguſti & Columnas Antonino & Trojano erectas indigitant.

Deitates a Principibus cultæ. Cultus, quo Principes affecerunt Deas Deosve certos, tituliqué, quos ipſis, vel ut ſe gratos oſtenderent ob tutelam, aut beneficia alia, dederunt, ex variis Legendi mo-

dis

dis poſſunt dignoſci. Numerianum cumprimis coluiſſe Mercurium, id ex imagine hujus in illius nummis patet ſtatim, cui additum eſt: *Pietas Aug.* Quod ceu protectorem ſuum honore divino affecerit Diocletianus Jovem, id docent nummi ipſius verba: *Jovi conſervatori, Jovi propugnatori.* Et quod Gordianus eidem attribuerit felices pugnæ ſucceſſus, in qua nec pedem moverant loco milites, id teſtatur vox: *Jovi ſtatori.*

Nummis Principum fœminarum nomina imaginesque Deitatum ſui ſexus imponebantur, *Ceres, Juno, Veſta, Venus, Diana.* Ac Felicitas quidem matrimonii, vocibus *Venus Felix;* Gratiæ ob partus faciles, *Junoni Lucinæ;* Fœcunditas, *Veneri genitrici*, deſignabantur. Fortuna Principum maritorum, quam præ cæteris Deabus coluerunt, ſæpiſſime, tametſi non uno modo reperitur in nummis earundem, nempe, *Fortuna Auguſta, perpetua. Fortunæ felici, muliebri. Fortuna manens. Fortuna obſequens. Fortuna redux;* nullo

& a Principibus fœminis.

caſuum nominativi, dativi aut accuſativi diſcrimine habito. Perinde enim videmus *Mars Victor, Marti ultori, Martem propugnatorem,* quin etiam *Martis ultoris;* Verum iſthoc eſt in templo, ad vindicandam Julii necem exſtructo; quod probe notandum, tenendumque ſimul, quod Legenda nomen indicent vel per nominativum *Cæſar Auguſtus,* vel genitivum, *Divi Julii,* vel dativum, *Imp. Nervæ, Trajano, Germanico* &c. vel accuſativũ, *Theſaurus Golzii.* M. ΑΥΡΗΛ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ &c. Nullum tamen ex Latinis mihi occurrit accuſativi exemplum, præter unicum Gallieni, *in Gaza Regis Gall.* *Gallienum Aug.* & in adverſa parte, *ob conſervationem ſalutis.*

Sepoſitis autem perſonis loquamur porro de rebus ipſis, quæ in nummis comparent, nullo alio Legendo conſpicuis quam nomine aut ſtatu ſuo. (*leurs qualitez*) Horſum referri debent:

Legenda Vrbium. I. Vrbium provinciarumque ac fluminum vocabula, quorum quæ-

quædam videmus ſimplici nomine denotata, *Tiberis, Danuvius, Rhenus, Nilus, Ægyptos, Hiſpania, Italia, Dacia, Africa, Roma, Alexandrea, Obulco, Valentia, Italica, Bilbilis.* Alia vero prærogativis ac honoribus exornata, *Colonia Julia Auguſta Felix Berytus. Colonia immunis, illice Auguſta. Colonia Aurelia metropolis Sidon. Colonia prima Flavia Auguſta Cæſarenſis. Municipium Ilerda. Ælium municipium coillutanum Antoninianum.* *Provinciarum &c.*

Græcæ urbes privilegia ſua conſueverunt addere, ΙΕΡΑϹ, ΑϹΥΛΟΥ, ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, ΕΛΕΥΘΕΡΑϹ, ΝΑΥΑΡΧΙΔΟϹ, ΚΟΛΩΝΙΑϹ, ut oſtenderent ea ratione conceſſi aſyli honorem, h. e. quod nemini licebat ipſis invitis eripere, criminis alibi peracti reum, ΙΕΡΑϹ ΑϹ. Jus deinceps propriis legibus ac non Romanis utendi ΑΥΤ. Jus civitatis latinæ Romanæve ΚΟΛΩΝΙΑ. Jus portus maritimi, ΝΑΥΑΡΧΙ- *Elagabalus.*

 ΔΟϹ.

ΔΟC. Jus immunitatis ab oneribus tributisque publicis, ΕΛΕΥΘΕΡΑC. Et quæ ſunt plura ejusmodi Coloniarum, quæ obtinuerant, privilegia. Potiſſimum, Neocores maximam ſuorum geſſere curam ΔΙC. ΤΡΙC. ΤΕΤΡΑΡΚΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Tandem etiam videre licet fœdera earundem cum aliis civitatibus facta, ex voce ΟΜΟΝΟΙΑ.

Signa militaria, legiones &c. II. Militaria ſigna totique exercitus, de quorum nomine Legendum edocet, legionesque ſingulares, ex quibus illi compoſiti. Quod M. Antonius ultra XXX. legiones aluerit, ex totidem numeris *Legiones M. Antonii.* Legio I. II. III. &c. usque ad XXX. palam eſt; tum & addiſci poſſunt earum nomina diſtinctioque, quæ mari terraque ſtipendia merebant, ſiquidem ejus rei teſtes adſunt: *Legionis primæ antiquæ, Legionis* XVII. *Claſſicæ Leg.* XX. *Hiſpanicæ. Legionis* XXII. *Primigeniæ* &c. Honorum titu-

tituli, quos virtute ac fide legiones ſingulæ ſibi acquiſiverant, ita leguntur: *Legio* I. *Auguſta ſextum pia, ſextum fidelis. Legio* II. *Adjutrix.* VII. *Pia.* VII. *fidelis. Legio Aug.* X. *Gem. Pia Victrix.* Quin & cohortes reperire eſt, ut in Antonii *Cohor. ſpeculatorum; cohortes Prætorianorum ſeptem*, in Gallieni; *Coh. Prætorianæ Philippis*, in Auguſti nummo.

Legiones Gallieni.

Neque exercituum regionumque, in quibus decertaverunt, nomina nos latent amplius, *Exercitus Dacius, Exerc. Ræticus, Exercitus Syriacus, Exercitus Britannicus* &c. *Expeditio Judaica, Parthica* &c. tum itinera porro Imperatorum, exercitus ſuos præcedentium, vocabulo, *Profectio Auguſti;* expreſſa, & *Adventus Aug.* quando intraverunt aliquam urbem. *Trajectus Auguſti,* cum vel flumen aliquod latius aut maris brachium trajeciſſent. Extat major & elegans admodum Gordiani junioris navem conſcendentis nummus, cujus averſa pars decem figuris ſuperbit. Curam exercendo-

Exercitus, Hadrianus, Trajanus.

Hadrianus.

cendorum in armis militum deſignat vox *Diſciplina* aut *diſciplina Aug.* Orationes vero ad eosdem habitas, *Ad locutio Cohortium*. Sacramentum fidelitatis ab exercitibus exactum, *fides exercitus*. Nummum Commodi ex maximi moduli unum vidi tredecim figuris illuſtrem.

Caracalla. *Antoninus.* *Hadrianus.*

Ludi. III. Ludi publici, judicatu faciles ex vaſis, unde prodit vel palmæ ramus vel corona, diſtinguuntur Legendis, quæ utplurimum aut nomen auctoris, aut ejus exhibent, in cujus honorem fuerunt inſtituti. Sic Neronem auctorem ludorum quinquennalium deprehendimus in nummo, in quo ſic habetur: *Certamen quinquennale Romæ conſtitutum*. Ex Legendo alterius partis Caracallæ ΜΗΤΡΟΠΟΛ ΑΝΚΥΡΑC ΑCΚΛΗΠΙΑ CΩΤΗΡΙΑ ICΘ ΠΥΘΙΑ, patet, quod Ancyræ in Galatia in honorem Æſculapii, prout affirmat *le Sauveur*, iidem celebrati fuerint ludi, qui in Iſthmo Corinthiaco & perinde in Apollinis hono-

honorem. Legi eam in rem merentur, quæ attulit *Morellius* in Specimine ſuo univerſæ rei nummariæ antiquæ, quo rationem elegantiſſimi, quod unquam ſuſceptum eſt in hoc ſtudio, numeriſque omnibus abſoluti operis explanavit. Licet ibi præcipuorum ludorum quondam frequentatorum Legenda, ac ſimul quæ eam in rem pereruditе diſſerit Ill. *Spanhemius*, videre. ΚΑΒΕΙΡΙΑ iſtos ludos indicat, qui habebantur Theſſalonicæ in honorem Cabiriorum; ΘΕΟΓΑΜΙΑ, in Sicilia præſertim ac in honorem matrimonii Plutonis cum Proſerpina. CΕΥΗΡΕΙΑ, ſunt a Sept. Severo inſtituti, ΚΟΜΟΔΕΙΑ, juſſu Commodi celebrati &c.

Specimen univerſæ rei nummariæ Morelli.

IV. Vota publica, quæ faciebant Imperatores ſingulis vel Quinquenniis vel decenniis, referri perinde poſſunt inter Legenda ac inſcriptiones, cum non minꝰ in circulo ſæpe extent quam in area nummorum, ſaltim in Imperio ſuperiori; ſecus ſe habet in inferiori, teſtibus

Vota publica.

cum-

cumprimis nummo M. Aurelii jun. cujus pars averſa vota eo tempore quo matrimonium inibat; ſuſcepta repræſentat: *Vota publica;* alioque

Gebartius Tab. 45. Antonini: *Vota ſuſcepta decennalia*, & adhuc in alio decem poſt annis cuſo, *Vota Decennalium*. Pleni ſunt nummi inferioris imperii talium votorum indiciis, interdum etiam ultra terminum perductorum, quod ex addita voce *multis* patet, e. g. *Vota* X. *multis* XX. vel ex vocula *Sic*; e. g. *Sic* X. *Sic* XX. Vltra tamen XXXX non memini a me eſſe unquam viſa protenſa in nummis vota, unde conjicere licet, nullum ex iſtis Principibus ſupra XL. imperii annos exegiſſe, cum ſinguli exemplis ſuis illud ſapientis Viri oraculum confirmarint, *Omnis Potentatus vitam eſſe brevem*.

Nummi Votivi. Omne id vero, quod *nummos votivos*, quos ille vocat, concernit, egregie explicuit *du Cangio*. Ex eo enim tempore, quo Auguſtus abdicationem Imperii fingens tandem repetitis Senatus precibus de eo per X. annos adhuc gerendo locum dedit, cæpta eſſe,

in-

inquit Decenniis ſingulis ſupplicationes ſolennes, ſacrificia ludosque pro ſalute Imperatoris inſtitui, idemque factum in inferiori Imperio ſingulis Quinquenniis, & inde etiam in nummis poſt Diocletiani ætatem cuſis reperiri interdum *Votis* V. XV. &c. eamque adeo conſuetudinem usque ad Theodoſium perſtitiſſe, a quo iſtud epochæ genus amplius non extat. Recepta enim ſemel Chriſtiana religio omnes illæ gentilium ceremoniæ ritusque & quicquid modo paganiſmi aliquam referebat ſpeciem, ſimul fuit abdicatum; Sic, ut *Votis multis* quod adhuc in nummo Majoriani extat, non tam ſit idem illud, quam acclamatio alia, iſthuic: *Plura natalia feliciter;* ſimilis.

V. Jucundiſſima vero res, *Tituli Principibus dati.* quam nos edocent nummorum Legenda, ſunt varii tituli, quos Imperatores, ad potentiæ ſuæ magis minusve firmæ rationem, affectaverunt. Ita Julius Cæſar cum non auderet Regem ſe appellare aut Dominum, *Imperatoris, Dictatoris* *Imperator,*

per-

Dictator, *perpetui*, *Patris Patriæ* titulo fuit contentus. Succeſſores vero ejus ſenſim ſibi de officiorum omnium poteſtate proſpexerunt, facti nimirum Pontifices Maximi, Tribuni, Conſules, Proconſules, Cenſores, Augures. Non hic niſi de magiſtratibus loquor, quorum deinde adpellationes penes arbitrium ipſorum ſteterunt tandem, cum populus aſſueſceret paullatim ſervituti, Principemque pateretur, quodcunque arrideret, etiam Deorum nomen, ſibi arrogare. *Herculem* quippe *Romanum* ſe dixit Commodus, Aurelianus *Solem Dominum Imperii Romani*, Auguſtus, ſub imperii initium, *Cæſarem Divi Filium*, mox *Imperatorem*, porro *Trium-Virum Reip. Conſtituendæ*, ac tandem *Auguſtum*. Idem demum etiam Tribunitiam adjunxit poteſtatem, qua ſimul omnium rerum eſt potitus. Caligula hæc tria retinebat agnomenta: *Imp. Cæſ. Aug.* quibus Claudius addebat *Cenſor*. Sed neque hoc *Cæſaris* vocabulo unquam uſus Vitellius, ſeſe *Imperatorem*,

Pater Patriæ.

Auguſtus III-Vir Reip. C.

Cenſor.

ac

ac tandem *Auguſtum*, Domitianus vero *Cenſorem perpetuum* dixit, poſt quem non temere licet hoc nomen in nummis reperire. Equidem in Imperio inferiori occurrit etiam *Perpetuus Auguſtus*, verum id non niſi poſt Anaſtaſium. Neminem me noviſſe fateor, qui ante Æmilianum, cujus nummum allegat Golzius, *Domini* appellationem affectarit. D. N. C. *Domino Noſtro Cæſari Æmiliano Fortiſſimo Principi.* *Perpetuus Auguſtus.* *Dominus.*

Verum docuit me Cl. *Morellius*, nummum hunc eſſe falſum, poſitumque loco Maximiniani Æmilianum; ſic ut referri debeat titulus iſte ad Aurelianum, in cujus honorem nummus fuit cuſus iſthoc Legendo: *Deo & Domino nato Aureliano.* Ab hoc tempore nullus uſque ad eum, qui præ ſe fert: *Deo & Domino Caro*; temere reperitur. Cunctis deinceps Imperatoribus factus eſt ille communis uſque ad Imperii finem, quo Imperatores Orientales ſeſe appellaverunt Reges Romanorum ΒΑϹΙΛΕΥϹ ΡΩΜΑΙΩΝ, *Reges Romanorum.*

I ſimo-

ſi modo eos excipias, qui pietate ducti nec caput ſuum nec nomen, ſed *Jeſu chriſti* effigiem, cum hac Inſcriptione *Jeſus Chriſtus Baſileus Baſileon*, nummis inſculpſere. Eorum Zemiſces eſt primus, quem ſequuti deinceps plures, aliis vel S. Virginis, vel S. Georgii, vel alterius Sancti imaginem averſæ ſuorum nummorum parti imprimi amantibus.

Deſpota. Non oportet ut ſicco pede prætercam nomen ΔΕϹΠΟΤΗϹ, quod poſteriores CPltani Imperatores gerere maluerunt. Græca hæc vox eſt, ac vi originis ſuæ id ſignificat quod Latinis *Herus*, & Gallis *Maitre*, ratione nimirum ad ſervos ſive miniſtros habita. Fere enim idem diſcrimen, quod Latini *Cæſaris* inter & *Auguſti* vocabula fecerant, obſervarunt Græci, ſit ut ΒΑϹΙΛΕΥϹ reſponderet voci AVGVSTVS, & ΔΕϹΠΟΤΗϹ idem eſſet quod CAESAR. Sic cum Nicephorus filium ſuum coronari ſolenniter curaſſet, noluit hic aliud quam ΔΕϹΠΟ-

ΤΗϹ

ΤΗϹ nomen ſibi tribui, Patri ΒΑϹΙΛΕΩϹ appellationem ex veneratione relinquens. Factum autem illud eſt tunc ſtatim, cum Imperatores Græci in latinarum inſcriptionum vicem Græcis uterentur. Verum nec hæc ratio placuit ſequutis Imperatoribus, utpote qui ΔΕϹΠΟΤΟΥ nomen prætulerunt nomini ΒΑϹΙΛΕΩϹ, quod feciſſe videmus Conſtantinum, Michaelem Ducam, Nicephorum Botaniatem, Romanum, Diogenem, Comnenos, & quosdam alios. Quin & Principes fœminæ, ut viros æmularentur, nomen ΔΕϹΠΟΙΝΑ effinxerunt, quod patet aſciviſſe ſibi Theodoram Theophili Conjugem.

Peropportune hic licebit, quando de CPltanis Imperatoribus nobis nunc eſt ſermo, quædam etiam de titulo ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝΗΤΟϹ, quo, qui ex familia Comnena erant, aut huic ſucceſſerunt, gaviſi ſunt, ediſſerere. πορφυρογέννητος.

Debet iſtud vocabulum originem ſuam Palatio, quod Conſtantinus curaverat exſtrui, ſtratum cælatumque marmore admodum pretioſo rubri coloris ſed candido interſtincti,deſtinatoque in puerperia Imperatricium, quarum infantes ideo appellabantur nati in purpura.

Simul hic notari meretur, Græcos Cæſaribus quandoque etiam nomen ϐασιλεὺς· βασιλεῦς dediſſe,tametſi nunquam latino vocabulo *Rex* uſis. Non eſt id obſcurum ex nummo Caracallæ junioris, ANTΩNEINOC *quem Vaillantius poſſidet.* BACIΛEYC, & Hanniballiani, quem Conſtantinus vocari volebat *Regem*. Etiam de his Græcorum Regum nummis refert *Spanhemius*,in quibus juncta vocabula BACIΛEΩC AYTOKPATOPOC, uno Triphonis, & uno Tigranis; quin & allegat ex Imperatoribus unum Caji ΓAIOC KAICAP ΘEOC AYTOKPATΩP, quæ adulatio eſt prorſus execrabilis. Duos vero, queis

Neroni

Neroni *Patroni* tributum nomen allegat Golzius: ΝΕΡΩΝ ΠΑΤΡΩΝ, ΝΕΡΩΝΙ ΠΑΤΡΩΝΙ. Inſulæ Samos incolæ utramque Severi ſobolem *novi Solis*, ΝΕΟΙ ΗΛΙΟΙ, appellatione cohoneſtarunt, quos velut aſtra duo reſpiciebant, novum Imperio ſplendorem largitura. Eſt hic nummus in Occonis opere ſatis inepte delineatus poſitis hiſce literis: ΝΕΟ ΓΗΛΕΟC. ΠΑΤΡΩΝ.

In Imperio inferiori occurrit etiam vox *Senior* ac *Dominus*, conjunctim, veluti forte noſtra Gallorum vernacula ſolemus dicere *Seigneur & Maitre*. Sed enim ut hic non inquiram, num Gallica vox *Seigneur* a latina *Senior* deſcendat, id ſolum dicam, quod ea in Nummis Diocletiani & Maximiani, utpote in quibus ſolis a me eſt deprehenſa, mihi quidem ſignificare videatur idem ac *Pater*, eoque nomine ornatos eſſe eos ab his, quos Imperio regundo admoverant, *Senior.*

idque perſuadeor amplius inde, quod dativus caſus fuerit uſurpatus: D. N. *Diocletiano Feliciſſimo Seniori Auguſto.* Conſtat etiam præterea, iſtum honorem, abdicato licet imperio, tamen ſibi reſervaſſe Cæſares. Nititur hæc ſententia L. II. Cod. Theodoſ. de *Cenſu*, in qua Conſtantinus & Licinius Diocletianum, de quo loqvuntur, appellant *Dominum & Parentem noſtrum Seniorem Auguſtum.*

Nobilis Cæſar. Philippus junior ante gaudebat titulo *Nobilis Cæſar*, quam *Auguſtum* ſe vocaret, eodemque cohoneſtati deinceps Liberi Principum, in ſocietatem imperii non adſciti, vel iſti etiam, quibus curandi imperii negotium dabant ſubinde Cæſares, quemadmodum Diocletianus quatuor conſtituit Cæſares, Conſtantium, Maximinum, Severum, & Maximianum, quorum nummi habent *Nobilis Cæſar.* *Princeps juventutis.* Titulus enim *Princeps Juventutis* non dabatur niſi Imperatorum filiis proxime ab Auguſti ætate: *Cajus & Lucius Cæſares Principes Juventutis.* Nomen

Cæſar

Cæſar ſolum ac ab *Auguſti* nomine diſtinctum occurrit Getæ ac Caracallæ filiorum Severi tempore, liberis etiam adoptivis Ælio & Aurelio tributum. Non eſt autem vero non ſimile, in Ælio omnium primo Cæſaris nomen ab Auguſti appellatione fuiſſe ſeparatum, quemadmodum in ſuperiori Imperio Cæſaris Auguſtique nomen fuit per Secula plurima Imperatoribus datum, ad ſuſtentandam ipſorum ambitionem, quaſi videlicet magnitudini virtutibusque primorum Imperatorum, aſſumto eorum nomine, ſucceſiſſent. In Imperio CPltano nomen *Flavius* ingenti ſtudio affectarunt Principes, qui etiam ambitioſa *Novus Conſtantinus* nuncupatione impenſe delectabantur; & ut eo illuſtrius fieret *Flavii* nomen, affirmaverunt quidam, illud non interrupta ſerie a Veſpaſiani familia ad Conſtantinum usque fuiſſe propagatum, confirmato ita præſagio Templi iſtius, quod Domitianus *Æternitati Flaviorum* dedicaverat.

Flavius.

Extat in quodam Titi nummo.

Interim verum eſt tamen, quod hoc nomen *Flavius*, oblivioni fere hactenus datum, vitam veluti receperit in familia Conſtantini, qua extincta Jovianus ejusque Succeſſores id perinde conſervarunt. Sed enim usque ad Reges Lombardicos, qui eo eſſet uſus, præter Autharitum, & inter Gothicos, præter Recaredum, neminem novi. Vnde illud perſtitiſſe videtur usque ad Heraclii & Conſtantini ejus filii tempora; Saltem in numis genuinis non reperiri, pro certo eſt habendum. Strada quidem nomen iſthoc *Comnenis* & *Angelis* adjunxit. Verum is nummos ſuos ex ingenio effinxit. Principum Græcorum ambitio & adulatio civium erga ipſos ingentem titulorum Imperatoribus non ſolitorum præbet ſegetem: ΒΑϹΙΛΕΥϹ ΒΑϹΙΛΕΩΝ, *Nicator*, *Nicephorus*, *Evergetes*, *Eupator*, *Soter*, *Epiphanes*, *Ceraunus*, *Callinicus*, *Dionyſius*, *Theopator*. Perinde vero iidem ac Latini affectarunt nomina honoresque deorum; Siquidem Deme-

trium

trium conſtat ſe vocari paſſum ΘΕ-ΟC ΝΙΚΑΤΩΡ, Antiochum ΘΕΟC ΕΠΙΦΑΝΗC ΝΙ-ΚΗΦΟΡΟC, alium Demetrium ΘΕΟC ΣΩΤΗΡ. Quin etiam ut id evidens eſſet magis, Deorum ſymbola aſſumebant, qualia ſunt fulgur, Jovis Hammonis cornua, & pellis Leonina, qua Hercules conſpicitur exornatus. Singuli Succeſſores Alexandri M. iſtis conſueverunt ſuperbire.

Cum vero in poteſtatem Romanorum veniſſent, eosdem titulis talibus non ſunt veriti condecorare. Vnde fit, adeo, ut in ipſorum ſolum nummis, ac rariſſime in Latinis, vocabulum divinitatis index reperiatur ΘΕΑ ΡΩΜΑ. ΘΕΑ ΣΥΝ-ΚΛΗΤΟC. ΘΕΟC ΝΕΡΩΝ. ΘΕΟC ΚΑΙCΑΡ ΣΕΒΑ-CΤΟC CΑΙΟC ΚΑΙCΑΡ ΘΕΟC. Imo Hadrianum quoque appellavere ΑΔΡΙΑΝΟC Ο-

ΛΥΜΠΙΟC, ideo quod Athenis commune omnibus diis templum exſtruxerat. Sic & Commodum legimus dici ΟΛΥΜΠΙΟC ΚΟΜΜΟΔΟC, nec Imperatricibus id honoris fuiſſe denegatum, utpote dictis, *Juno, Venus* &c. quibus illæ tamen non niſi forte ob luxum amoresque erant ſimiles.

Romanorum Principes etſi Græcis longe modeſtiores, tamen amaverunt Magnorum, Piorum, Invictorum, Juſtorum, Sapientum, Prudentumque &c. cognomenta. Antonium novimus primum dictum fuiſſe *Pius*, cui vocabulo Commodus adjungebat *Felix*, plurimum ideo deriſus. Sept. Severus aſſumtum prius *Pertinax* nomen, quo Helvius antea ad denotandam conſtantiam & firmitudinem uſus, mutavit in *Severus Pius*. Peſcennius dixit ſe *Juſtus*, ac Diocletianus ab aliis vocatus eſt *Beatiſſimus* & *Feliciſſimus*. Cujusmodi recens natos titulos ejus quoque in Imperio Collega retinuit,

Pius.

Felix.

quos

quos deinceps ambitio liberorum Conſtantini non paſſa eſt interire. Teſtis ſit Conſtantii nummus,in quo extat: *Victoria Beatiſſimorum Cæſarum.* Aureum Probum exhibet Patinus,in quo voces: *Victorioſo ſemper.* Conſtantinus dictus eſt *Maximus*, ad exemplum Imperatorum,qui cognominibus ſuis iſtud etiam ſimul adjunxerunt quondam, velut: *Armeniacus Maximus, Parthicus Maximus.* Victorinus dici amavit *Invictus.* Ita enim habeo,eos non niſi invitos conceſſiſſe Divina Deorum ſibi tribui nomina, uti: *Jovi creſcenti, Jovi juveni, Jovi fulgeratori* &c. eaq; etiam ceu amoris honorisq; dati ſigna. Balbini ac Pupieni Impp.merita ab lene regimen fecerunt ipſos appellari *Patres Senatus*, quo titulo condecoratas deinceps quaſdam Imperatrices conſtat ab adulatoribus, prout a nobis mox dicetur. Iſti vero duo Principes usque adeo arcta viſi ſunt amicitia invicem conjuncti, ac tam bene utrinque ſibi cupere, ut non ſolum in averſa nummi cujusdam parte vox:

Patres Senatus.

Con-

Concordia Augg. prædeceſſoribus ipſorum non plane inſolita, ſed & manus duæ poſitæ fuerint conſociatæ, tenerrimæ amicitiæ ſymbolum, cum inſcriptione: *Amor mutuus Augg. Charitas mutua Augg. Fides mutua, Pietas mutua.*

Auguſta. Principibus fœminis inſuper datus *Auguſta* titulus: *Julia Auguſta, Antonia, Agrippina* &c. quin imo ſæpe his etiam, quæ Conjuges Imperatorum non erant, *Julia Titi, Marciana, Matidia* &c. Aliæ nomina ex adulatione tributa adjungebant; ut Julia *Genitrix Orbis*, Fauſtina *Mater Caſtrorum, Mater Senatus, Mater Patriæ*; Julia Domna ſola omnium fœminarum iſtarum *Pia, Felix, Auguſta*, auſa eſt ſe appellare. Sed enim *Sexus devoti* appellatio non ita liberaliter, ac noſtris quidem fieri moribus conſuevit, fœminis fuit conceſſa.

Mater Caſtrorum &c.

In Imperio inferiori dictas fuiſſe matres Imperatorum *Venerabiles*, nos docet *du Cangius*, ex teſtimonio elegantiſſimæ Inſcriptionis: *Piiſſima &*

Vene-

Venerabili Dominæ noſtræ Helenæ Auguſtæ, matri Domini noſtri Victoris ſemper Auguſti Conſtantini & aviæ beatiſſimorum dominorum noſtrorum Cæſarum, Ordo & Populus Neapolitanus. Beneficio cujus facilis eſt explicatu pars averſa nummi de Conſecratione Conſtantini M. a paganis facta, ut adeo ibi literæ VN. MR. prope figuram, quæ Helenam refert, ſignificent *Venerabilis noſtra Mater.*

Neceſſitudines ſive Affinitates. Inter Legenda nominum collocandæ ſunt etiam neceſſitudines affinitatesve, ac non adoptiones modo, quibus qui honorabantur, dicebantur *filii*, ſed & nepotum neptiumque. *Adoptiones.* Huc debent referri conſanguinitates omnes, ne diſtincti efformentur forte tituli amicitiæ honorisque ſimplicis. Tale eſt nomen in Ariobarzanis Cappadocum Regis nummo Φιλορωμαῖος, ad indicandum ejus erga Romanos favorem. Ita conſtat porro, Arſacidas ſe vocaſſe Φιλέλληνες, & Herodem Agrippam Φιλοκλαύδιος, ut

ut quanto amore proſequeretur Claudium Imperatorem palam fieret, quemadmodum etiam Ptolemæi ſeſe dixerunt: Philopator, Philometor, Philadelphus &c. Sed poſtquam ſacris Chriſtianis initiati ſunt Imperatores, Nicephorus, qui & Botaniates dictus, φιλοχριστος titulum, pietatis ſuæ teſtem, aſſumſit.

Etiam in nummis legere datur nomina Patris, Matris, Auiæ, Filii, Nepotis, Pronepotisque: *Cajus Cæſar Divi Julii Filius. Cajus & Lucius Cæſares Auguſti filii.* Druſus Cæſar *Tiberii Auguſti filius.* Germanicus Cæſar *Tiberii Auguſti filius Divi Auguſti nepos.* Cajus Cæſar *D. Auguſti Pronepos.* Divo Maximiniano *Patri.* D. Max. *Socero.* Divo Romulo *Filio.* Divo Conſtantino *Cognato.* Agrippina *Mater Caji Cæſaris Aug.* Agrippina Aug. *Divi Claudii Cæſaris Neronis mater.* Diva Domitilla D. *Veſpaſiani Auguſti filia.* Divis Parentibus ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ ΙΟΥΛΙΑ ΣΟΛΙΜΙΗΣ ΣΕΒ. ΜΗΤΡΑ. ΣΕΒ. Marciana Aug. *Soror Imp. Trajani.* Sabina Hadriani Aug.

Aug. *Vxor.* Imp. Maxentius *Divo Conſtantino Adfini.*

Eadem Legenda produnt exiguum illud temporis ſpatium, quo gratos ſe exhibuerunt adoptati adverſus patrem matremve, quibus Imperii dignitatem debuere. Hi enim primum aliquamdiu nomine *filii* ſunt uſi, verum & hoc & alia adſcita nomina mox abdicarunt. Trajanus in nominis *Nervæ* vicem, a quo Imp. fuerat adoptatus, non ita diu poſt ſolum Trajani nomen retinuit. Paria huic fecit Hadrianus. Quin etiam Antoninus Pius, dictus antea Titus Ælius Hadrianus Antoninus, mox appellabat ſeſe Antoninus Auguſtus Pius. Verum ea tamen retinere ſolebant nomina, quæ ambitio ac ſuperbia, non vero ulla ſanguinis aut meritorum vis confirmabat. Sic Antonini nomen attributum eſt Imperatoribus usque ad Caracallam & Elagabalum, Trajani Decio &c.

Iſthæc nomina propria pluribus communia facta multum negotii faceſſiverunt hiſtoriæ antiquitatisque

Roma-

Romanæ inveſtigatoribus, quoniam nulla epocha notati ſunt latini nummi, cum ex adverſo Græci exactiores ſint in cognominibus, annorumque notis. Vnde non poreſt dici, quam facilis Regum quorundam, Antiochenorum cumprimis, ac Ptolemæorum, obſcuriſſima alias futura, facta fuerit enarratio.

Præterea etiam in Legendis nummorum nomen Magiſtratus, ſub quo ſunt cuſi, obſervari meretur; Quod Græci ſic exprimere conſueverunt: ΕΠΙ CΤΡΑΤΗΓΟΥ (*Prætore*) aut ſaltem Βαλβος Αντυπατος (*Proconſul*) vel etiam Αρχιερεος Στρατοκλεους Αλικαρνασσεων (*Pontifice Max.*) Επι Θεωνος Αρχοντος αναφλυστιων (*Præfecto.*) Επιπαιτου Γραμματεως Εφεσιων (*Scriba gubernante Vrbem Legato*) quandoque etiam ΗΓΕΜΩΝ & ΠΡΕC-ΒΕΥΤΗC. Sed Duumvirorum nomina in Coloniis Latinis, & ablativo quidem caſu, licet reperire.

in Gaza Reg. Gall.

Toti

Toti huic Præceptioni tamen deeſſe aliquid poſſet videri, ſi de poſitu ac loco Legendorum prorſus tacere vellem. Naturalis ac proprius ordo, quo diſtinguuntur ab inſcriptione, eſt, quod nummum circumeunt ſubtus marginem, & incipiunt a ſiniſtra dextram verſus, idque ita univerſim in ſingulis ad Nervam usque. Verum in duodecim Cæſaribus ab hac ad illam, vel etiam diviſim, ut pars verborum ad dextram pars ſiniſtram vergat. Alia rurſus ſunt tamen in infima nummi parte (*dans l'exergue*) e. g. DE GERMANIS, DE SARMATIS, &c. Alia porro ſunt in lineæ parallela, una ſupra typum & altera infra eundem ducta, ut in Julio; Alia transverſim poſita aut decuſſatim, ut in eodem; Alia deinceps ſurſum erecta (*en pal*) ut in Julio ex parte capitis, & in averſa, quæ caput M. Antonini repræſentat. Sed enim adhuc alia, in medio areæ per figuras diſſecta, ceu videre eſt in averſa M. Antonii, typum elegantiſſimum trophæi exhibente, & in alia ejusdem, ubi palma arbor, co-

rona cincta laurea, hæc verba: *Alexandr. Ægypt.* diſſecat. Et alia demum in morem baltei poſita, ut in Julio. Vnde id conſequitur ſtatim, eam rem ab arbitrio artificum unice dependiſſe. Evitari autem cumprimis debet fallax quorundam nummorum ſpecies, in quibus Legendum adparet, more Hebræorum, a dextra ſiniſtram verſus, qualis eſt ille Regis Gelas, hac ratione: ƩΑΛƎ⅃, & quidem Vrbis Palermo NATIMϙONAΠ, & quidam Vrbis Cæſareæ, ex quo quibusdam orta eſt ſuſpicio, eam quoque dictam fuiſſe Alphæa, cum ſit vox Flavia ΑΛΦ, retro lectis literis cognoſcenda. Eadem ratione eſt comparatum cum urbe Lipara, ΠΙΛ. quam, quod non erat ſcriptum in legendo ΛΙΠΑΡ nemo diu habuit ſatis cognitam.

Reſtituti nummi. Verum hic oportet ut doceantur juvenes curioſi de literis REST. quas in quamplurimis nummis reperiri palã eſt, denotantibus eos nummos, qui a ſubſecutis Imperatoribus

tibus fuerunt reſtituti, ad renovandam Anteceſſorum ſuorum memoriam. Qui id fecit primus eſt Claudius, aliquot Auguſti nummis reſtitutis; idemque præſtitit Nero ac Titus, ad exemplum patris ſui omnibus nummis anteceſſorum ſuorum. Aſt enim Gallienus non addita licet voce *Reſt.* conſecrationem omnium præcedentium Imperatorum recens imprimi fecit duobus nummis, in eorumque uno typum altaris, & in altero aquilæ. Facile ſunt iſthi a cæteris, ex metallo, quod mixtum eſt, & ex orbe, diſtinguendi.

Finē jam dabimus huic Præceptioni. Sed id adhuc monere eſt viſum, certas regulas collocandis nummorũ Legendis inſervientes dari non poſſe. Licet enim verum ſit, Legendum eſſe quaſi animam nummi, tamen corpora quædam extant anima deſtituta, aut ut evidentius loquar, nummi absque Legendo in capitis æque ac typi parte, ac non in Conſularibus ſolum, ſed & Imperatoriis. Sic enim in familia Julia ſæpe occurrit effigies Julii Legendo

carens. Quin imo ſunt etiam averſæ partes ſine Legendis, in eadem præſertim familia, ut iſte nummus, qui hinc ſignum pietatis cum ciconia, & illinc coronam baculum auguralem cingentem, ac una vaſculum ſacrificatorium, (ſeu ſacrum) absque omni Legendo, refert. Præter hos dantur adhuc alii nummi ſemianimes quaſi, ut ita loquar, quippe in quibus una pars, ac modo hæc modo illa, Legendo caret. Plurima vero capita Auguſti hodie ſuperſunt, ut ille nummus, qui in averſa parte ſtatuam equeſtrem, quam Senatus ipſi decreverat, exhibet, una cum his verbis: *Cæſar Divi filius.* Sed enim tales omnem exſuperant numerum, tametſi interdum ob figurarum pariter ac typorum copiam digniſſimi conſideratu, quibus meo quidem judicio jungi deberent, qui non niſi ſolum monetarii nomen, aut S. C. præ ſe ferunt, quorum neutrum explicando recte typo inſervit; Forte uti tres aut quatuor elegantes admodum Pompeji nummi

mi iſthoc tantum nomen *M. Minatius Sabinus Proquæſtor*, exhibent, ac duo, præter hos Julii Cæſaris, quorum unus eſt exornatus globo, faſcibus, ligone, caduceo, & manibus conſertis duabus, cum nomine: L. BVCA. & alter aquila militari figuraque, quæ ſedet manu tenens lauri aut olivæ ramum, ac coronatur poſt tergum à Victoria pedibus conſiſtente, cum literis, *ex* S. C. ac demum Galbæ, cujus pars averſa eſt Allocutio ſex figuris ſuperbiens, quam ſunt ex doctis qui perſuadentur ſignificare adoptionem Piſonis, ſed perinde tamen absque Legendo, affirmantque iidem typum eſſe modernum, ac nummum genuinum habere *Adlocutio*.

PRAECEPTIO VII.

De Variis Linguis, quæ Inſcriptiones & Legenda Nummorum, ſecundum provinciarum, in quibus cuſi fuere, diverſitatem, efficiunt.

SI eadem prolixitate animus eſſet exponere hanc Præceptionem, qua patet nummorum antiquorum æque ac modernorum notitia, fatendum utique foret, tot ac tam diverſas linguas in iis reperiri, quot fere regiones ſunt, in quibus illi cuſi; & oporteret huc allegari Germaniam, Galliam, Belgium, Italiam, Hollandiamque, ac reliquas omnes terras, in quibus monetæ datur opera; idque vel eo magis, quoniam ex ſtudioſis rei nummariæ ſunt, qui ſibi ſingularum regionum monetas, quarum uſus non in Europæ ſolum provinciis, ſed & in Africa Aſiaque valet, collegerunt.

Lingua Latina. Verum, quoniam in id nunc incumbimus, ut in hos unice inquiramus, qui Nummorum nomine veniunt (*medailles*) in muſeis, ſive vulgaris monetæ vices obierint illi quondam, ſive minus; Ideo primarias ſolum attendemus porro linguas, quarum quidem cognitio ad nos unquam pervenit, & ex quibus Legenda conſtituuntur. Quo tamen loco ſupponendum eſt, linguam nummariam

riam non ſemper idiomati in ea provincia, qua cuſus fuit nummus, recepto eſſe conformem. Sic enim Imperalium nummorum ſatis multi vel in Græcia aut apud Gallos fuerunt facti, quorum Legenda tamen Latina ſunt. Nempe exercuit Latina lingua ſemper dominatum in illis provinciis, quas Romani occuparunt, atque etſi una cum Monarchia eorum exſpiraverit, tamen adhuc ab omnibus Chriſtianis Principibus, in publicis monumentis & Nummis inſignioribus adhibetur.

Lingua Græca. Ex eruditis ſecundas tenet *Græcum idioma*, cujus uſus quaſi univerſalis in exornatione nummorum extitit, & quam intelligendi, & in qua verba faciendi ingens Romanis cura fuit. Vnde nec graviter tulerunt, quod non tantum ſibi ſubjectæ Orientis, ſed & in quibus Græci habitabant, Occidentis provinciæ, Sicilia puta, Gallia Narbonenſis, & inprimis Magna *Græcia* hac in nummis utebantur. Tanti eſt hæc noſſe, ut plane nequeat quis eſſe vere curioſus, niſi

idem & Græcam linguam æque calleat ac Latinam, & antiquam pariter ac recentiorem Geographiam.

Vtque adeo ſuus conſtet honos antiquitati, antequam plenius paullo de lingua Græca Latinaque ſum acturus, de Ebraica quoque ſimul & Arabica paucis ediſſeram, quoniam in utraque earum reperiuntur nummi, quibus facile decipi poteſt tyro curioſus, ſi luce careat ad perſpiciendos dijudicandosque tales neceſſaria.

Lingua Hebraica. Statim vero ac reputabit ille, in religioneJudaica nullam unquam nec ſculptam ſcriptamve graphio imaginem, nec ſtatuam toleratā fuiſſe, vi ac rigore præcepti omnium primi; non difficile quoque eidem erit judicatu, nummos omnes, qui Moſis, aut alterius hominis, imo & Chriſti Servatoris, imaginem referunt, adulterinos novosque eſſe. Tum & amplius patebit ad oculum, quaſi, omnes eſſe fuſos. (*moulées*) Affirmarem omnino, nullum ex iis eſſe cuſum unquam, niſi conſtaret, quosdam prodiiſſe non ita abhinc diu in Germania,

quorum formam (*coin*) recens ſi-
ctam etiam mediocriter doctis inte-
grum eſt deprehendere ſtatim. Ta-
lium animi gratia proximis abhinc ſe-
culis factorum unus eſt ille, in quo
Chriſti Servatoris vultus extat, qui
autorem fortaſſis habet Judæum ad
Chriſtiana ſacra converſum, non ma-
gni tamen habendus abs curioſis.
Tametſi vero Judæos oportuerit uſi-
tata Romanis moneta uti, Principum
vultibus ſignata, nunquam tamen
mutata eſt ipſorum moneta, & nun-
quam ipſi etiam nummos ſuos facie
Imperatum ſignaverunt.

Neque id obſtat tamen, quo minus
reſtent adhuc argentei, atq; ænei ſive
cuprei genuini, quorum uſus vulgaris
extitit in Judæa, Legendis vel Ebraicis
vel Samaritanis exornati. Ar- *Lingua Samaritana.*
gentum & Æs dico; Nam ne-
que a me viſus eſt aureus, neque ex
doctorum judicio unquam aurum
præbuit Judaicis nummis materiem.
Tales ſunt Sicli, dimidii Sicli, duplices
Sicli, quadrantes Sicli, aut aliæ ejus
ſpecies, quales perſvaſum eſt rudi vul-

go, datos Judæ, cum proderet Servatorem. Nam non video ſatis, quare Ebræorum nummi non cenſeri debeant æque feliciter conſervati ac Romanorum, queis abundant gazæ. Eodem vero gaudent ſinguli Legendo parvi perinde ac majores, & ex una quidem parte *Schekel Iſrael*, i. e. Siculus Iſraelis, & ex altera *Jeruſchalaim Hakedoſcha*, i. e. Jeruſalem ſancta. Neque eſt tamen ſemper idem typus, ſed qui nihilominus hinc arbuſculum in ramos extenſum, quem *Aaronis virgam* appellant, inde vero vas fumigans, ex quo prodire fumus cernitur; (quod quidam falſo *mannam* in tabernaculo *reſervantem Vrnulam* interpretati ſunt contra & rationis & oculorum fidem) monſtrat. Idque adeo jam dubio caret, quantum ad hos nummos attinet, in quibus fumigans vas eſt; Verum in quibus literæ Samaritanæ ſunt, quod fere in ſingulis æneis accidit, de his ex analogia oportet ut fiat judicium, quandoquidem vas non eſt ſemper unius ejusdemque formæ, neque fumi etiam ſemper ſpe-

ciem

ciem præ ſe fert, ſed ſuperius ſolum quaſdam habet literas poſitas, nominis DEI indices, uti quidem perſuadet Villalpandus in Ezechielem, quo nemo felicius argumentum hoc tractavit, ſimul affirmans ſerio, in monetis Ebræorum, neque hominum neque beſtiarum etiam unquam, ſed ſolum arbuſculorum palmarum aut uvarum formas extitiſſe. Quoſdam una ibi allegat, in quibus ſpecies quæpiam Epochæ animadverſa eſt; v. g. *tempus Circumciſionis*, aut ſimiles. Vnde cauſam nactus eſt conjiciendi ejus de quo jam dictum; cui tamen arbitror parum ineſſe ſolidi. Omnium autem horum characteres ſunt Samaritani, aut ut alii dicunt Aſſyriaci & Chaldæi. *Morellius* quoſdam ſe vidiſſe tempore Maccabæorum cuſos, & hos inter etiam Simonis nomine conſpicuos, affirmat.

Cavendum autem eſt cumprimis, ne Talismani ſeu *Amuleta nummaria*, aut Cubi (*carrez*) ex literis Ebræorum numeralibus compoſiti, quos *Sigilla Planetarum* vocant, & quo- *Talismani.*

quorum uſus eſt Genethliacorum ſeu Horoſcoporum Scriptoribus & vaniſſimæ augurum genti; ac ne aliæ etiam figuræ ſplendidiores, (*magnifiques*) quorum ſpecimina habentur in Agrippa, cum antiquis genuinis nummis confundantur. Nominum vero atque Characterum Ebraicorum uſus eſt cumprimis ad faciendum myſterio (ſi quod illud fuit) pretium. Hi omnes, ſi dicendum, quod res eſt, in cenſum nummorum non veniunt, iſthuic curioſitati ſolum inſervientes, qua de mentio fit in Apoſtolorum Actis; in quibus leguntur recens ad Chriſtianam fidem converſi gentiles iſtas nugas, agnita ſuperſtitione, flammis addixiſſe. Quare ſufficiat absque verborum ambitu & rudi ſolum penicillo eos depinxiſſe, ne quis forte in fraudem incidat imprudens.

Lingua Arabica. Ac ne ſejungantur invicem linguæ linguæ peregrinæ, alterum locum aſſignabo nummis Arabicis, quorũ ingens utiq; datur copia, non magni tamen unquam habitorum a curioſis & quia cuncti ſunt recentioris æta-

ætatis, fabricæque ineptæ, & quia lin-
guam literasque Arabum callent pau-
ciſſimi, & quia denique in ſequelis
nummariis plane nullus eorum uſus
eſſe poteſt, cum raro Principum Mu-
hammedanorum vultu figurentur.
Si cui tamen eruditio illa eſt, qua Vir
Cl. *de Court* abundat, is animi *Dn. de*
gratia ad ipſius exemplum *Court.*
ſeriem fere perfectam Arabico-
rum Principum ſibi colligere poſſet,
quam non collegit ille ſolum, ſed &
obſcuritate ſua liberavit feliciter. P.
Moulinet quem antiquarii ty- *du Mouli-*
rones cuncti ob animi bonita- *net.*
tem voluntatemque officia omnibus
præſtandi plurimi habent, ſexaginta
circiter eorum conquiſivit. Eſtque
numerus talium non ſpernendus abs
me viſus apud Virum Cl. *Carcavy*, jam
defunctum, quos filius ipſius Abbas de-
lineaverat, ab Arabe quodam prius ex-
plicatos. (*déchifrées*) Quosdam ex illis
muſeo regio illatos jam eſſe memini.
Elegantiſſimum autem omnium, qui
in eo genere nobis ſuperſunt, deſcribi
curavit *Morellius*. Repræſentat ille
Sala-

Saladinum, quem alii *Salaboddin* vocant, infenſiſſimum Chriſtianis hoſtem. Ex una parte caput ipſius apparet junctum vultui junioris Almelek Iſmahel filii Nurodini, qui ſub ſeculi duodecimi finem vixit. Legendum Arabice expreſſum eſt iſthoc: *Joſeph filius Joſeph;* quod nomen affectabat Saladinus; & ex altera parte: *Rex Imperator, Princeps fidelium.*

Tertio loco collocandos duco nummos, quorum Legenda & lingua & literis Punicis ſunt notatæ, quos vero ſimile ſit autores habere Saracenos Hiſpaniæ Africæque; Saltem id certum eſt, literarum formam Alphabeto Saracenico proxime accedere.

Lingua Punica.

Neque ſatis me ſcire etiam fateor lubens, num major pars literarum iſtarum, quas Punicas vocamus, meræ Hiſpanicæ ſint, ex ſententia Antonii Auguſtini, qui latinum idioma characteribus in Hiſpania uſitatis ſcriptum eſſe arbitratur.

Dantur & quidam nummi antiqua Hiſpanorum lingua notati, quemadmodum

modum ſunt etiam aliqui, vere in Africa facta Regum Syriorum, & a Julii Cæſaris tempore, qualis eſt ille Regis Jubæ, cujus Legendum ex vultus parte latinis conceptum eſt verbis hoc modo: *Rex Juba;* alterius vero partis characteres nondum ſunt perſpecti ſatis. Et ſunt quoque, qui omni prorſus Legendo carent, quod alii tamen non niſi in una parte ac literis quidem Punicis referunt, qualis eſt, in quo dicunt extare Didonis faciem, ex altera repræſentantes vel equorum figuram, vel ſaltem equi caput, interdumque palmam. Fabrica elegantiori præ Arabicis nummis ſeſe commendant Punici, ſed minori craſſitie (*volume*) & minori etiam circulo (*relief*) quam quo gaudent Hiſpanici. Id dolendum eſt cumprimis, quod interierit Alphabetum Punicum, quo reſtituto multum eſſemus felices, præſertim ſi Epiſcopus de *Pamiez* ſpei, quam fecit, reſponderet. Iſtas quidem literarum figuras, quas typis imprimi curavit Anno 1545. Joh. Baptiſta Palatinus, cum examinarem aliquando, Saracenicas,

nicas, quas vocant, ſimillimas noſtrorum nummorum literis eſſe deprehendi, indeque quædam finxi vocabula, ſenſum inſcriptionibus conformem referentia, quas conjiciebam extare in nummis in iſtis regionibus cuſis, quas in ſua poteſtate diu tenuerunt Saraceni.

Vnde perſuaſum habeo, characteres iſtos non eſſe vere Punicos, quoniam tantopere ab Ebraicis antiquis diſtant, nec ſibi invicem reſpondent, prouti par eſſet tamen, quippe cum Pœnorum lingua non ſit niſi quædam Ebraicæ corruptio, quod aſſeruit Bochartus in ſuo *Phaleg*, quo loco Plauti Comœdiam, cui *Pænuli* nomen, & quæ crucem Criticis duram ſemper fixit, peregregie expoſuit.

Linguæ Barbaræ. Huc reliqvum tandem Barbarũ Linguarũ agmen omne, quas in nummis offendere licet, debet vocari, quorum typi æque ac Legenda Seculi ſui barbariem intuitu primo produnt. Vulgo curioſorum dicuntur Gothici, qua appellatione tamen injura fit Regibus Gothorum, ſaltem quibuſ-

dam,

dam,quorum nummi & linguæ & majeſtatis Romanæ aliquam partem aut ſimulacrum conſervarunt,quales ſunt nummi a Theodorico, Athalarico, Theodahato, Baduela, dicto Witices, tum & Teja,cuſi, quorum & fabrica nitida eſt ſatis, circuitusque notabilis, & literæ omnino Romanæ. Tales videntur etiam aliquot,Vandalorum Gothicorumque Regum nummi, quorum exempla affert Antonius Auguſtinus Dialogo VI. & VII. velut Cunthanundi tertii Vandalorum in Africa Regis, Chindasvvindi Regis Gothorum in Gallia Narbonenſi, Egicæ, Ervigii, Witizanis. Tales ſunt porro Reccaredi,Witerici, Suinthilæ, Receſſuinthi, & Wambæ, qui Hiſpaniæ imperarunt, apud eundem videndi. Cum ex adverſo id omne,quod Gothicum appellatur in re nummaria,non ſit niſi putidum prorſus aſpectuque vix dignum,ſive aureum illud ſit ſive argenteum æreumve, vultibus ſiquidem vix ad formæ humanæ ſimilitudinem effictis,Legendisque utplurimum obſcuris, qualis eſt ille num-

mus, qui Ateylæ nomen refert, atque alia quædam Hunnorum fortaſſis, Gallorum aut Saracenorum.

Quare ad primarias potius linguas, ex quibus & Legenda conſtant, & Inſcriptiones, *Græcam* ſcilicet & *Romanam* fiat acceſſio; quarum utraque & elegantia ac puritate typi, (*del' expreſſion*) tum & characterum nitore ſe commendat. De prioribus ſeculis loquor; ſiquidem inclinante Imperio linguæ ſimul cum literis ſenſim perierunt.

De nummis Græcis fiat initium, non ideo ſolum, quoniam illi, qui inter Imperiales nobis reſtant, latinos exæquant, in quibusdam vero Imperatoribus ſuperant venuſtate; ſed &, quia, generatim dicendo, ante conditam Vrbem, & ante quoque, quam de cudenda ibi moneta fuit cogitatum, Reges Vrbesque Græciæ, ad eam usque artis perfectitudinem redegerant rem monetariam, ad quam vix adſpirare datum eſt deinceps Romanis, etiam cum floreret Reſpublica.

Græcus ille character, qui ex literis, quas nos *majuſculas* appellamus, conſtat, eandem formam ſemper in nummis obtinuit, tametſi & uſu & pronuntiatione fuerit poſtea immutatus. Sola quidem litera Σ usque ad Domitianum manſit inviolata; Verum ab illo tempore aut in C aut ⊏ mutata fuit initio æque ac in medio & fine vocabulorum. *Character Græcus.*

Perinde uti Ƶ & Ξ per Ӿ, & τὸ Π per Γ, τὸ Γ per C, τὸ Ω per W ω ꟺ W notatur. Pariter etiam græcæ cum latinis literis deprehenduntur permixtæ, non ſub infimam ſolum Imperii ætatem, qua penes barbaros erat rerum ſumma, ſed in Coloniis etiam ſuperioris Imperii S. R. F. latinæ literæ poſitæ reperiuntur loco C. P. Φ. græcarum. Plura exempla ſuppeditat Spanhemius Diſſ. 2.

Quare oportet ut literarum ἀλλοίωσιν & quandam quaſi alterationẽ ne ſtatim inde arguamus, quod qui facit, ſuam in hoc ſtudio ruditatem nimium manifeſtat. Sæpe enim con-

tingit, ut E occupet vicem τοῦ Η, ΑΘΕΝΑΙΩΝ, Ο τοῦ Ω, ΗΡΟΣ. H cum adſpiratione, ΗΙΜΕΡΑΙΩΝ. Ζ τοῦ Σ, ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ, & Σ τοῦ Ζ, ΣΕΥϹ, aut etiam ΣΔΕΥϹ loco ΖΕΥϹ. Α τοῦ Ω in fine vocabuli ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ, ΚΥΔΩΝΙΑΤΑΝ, loco ΤΩΝ. & ſi quæ ſunt his ſimilia exempla.

Venuſtas ſua conſtat utcunque Characteri, ad Gallienum usque. Poſt id tempus minus rotundus, magisque gracilis conſpicitur, inprimis in nummis Ægyptiacis. Siquidem in Ægypto exigua Græcæ Linguæ habita ratio fuit. Porro, a Conſtantino inde usque ad Michaelem Rhangabem, per annos quingentos ſola latina lingua comparet in nummis, etiam iis, qui Conſtātinopoli fuere cuſi, ſi quosdam characteres Græcos excipias, qui in averſa parte comparent, & vel officinarum monetariarum, invicem diſtinctarum, ſunt indices, velut alibi eſt.

a nobis dictum,aut monagrammatum loco ſunt,ut in Focas Φ K. & in Leone Iſaurico A K.

In Michaelis proinde nummis Græca Lingua primum eſt reſtituta,ac reperitur ibi etiam vox βασιλεὺς, a qua Imperatores hactenus abſtinuerant omnes. Sed abhinc vero magis depravatæ ſunt indies & literæ & lingua, quæ ad Palæologum non eſt fere niſi quædam græcæ cum latina commixtio; quod abunde patet in Commentario *du Cangii* de Familiis Byzantinis,cujus induſtriæ id omne debemus, quod ad notitiam noſtram de inferioris imperii nummis pervenit. Quo ſane loco mihi temperare non poſſum, quin elogio ipſum exornem, quale & profunda eruditio ſua & plurimæ dotes aliæ jure a doctis omnibus expoſcunt, quandoquidem nec denegavit unquam petentibus ea, quæ improbo labore ſibi conquiſiverat,in honeſtiſſimæ voluptatis partem reputans, ſi qua in re juvare poterat diſcendi cupidos ac diſciplinarum capaces.

du Cangii liber.

Characteres Latini.

Nummi Latini innotuerunt magis, iidemque linguam ſuam & characterem felicius conſervarunt, usque ad barbariem Conſtantinopolitanam, de qua modo diſſeruimus. Verum eſt nihilominus, quod verſus Decii tempora elegantia & rotunditas literarum tantum paſſæ ſint detrimentum, ut difficulter dignoſci invicem ac legi potuerint; quando N. V. g. τῶ M ſimile deprehenditur, quod in *Pannonia* aliorumque nummorum averſa parte patet evidenter. Peculiare quidpiam eſt, quod non ita multo poſt quaſi poſtliminio redditi ſibi characteres fuerint, donec ad Juſtinianum eſt perventum, poſt quem ſenſim iisdem barbaries illa incubuit, quæ ſub Michaele, de quo a nobis dictum eſt modo, deprehenditur. Caveat vero tyro, ne orthographica vitia eſſe arbitretur antiquam ſcribendi rationem, quam nummi conſervarunt, ubi viderit e. g. V. pro B. in Danuvius, O pro V in Volcanus & Divos, poni, aut vocales quasdã geminatas ſe ſiſtere, ut: E E pro E longo

Orthographia antiqua.

go FEELIX, II in VIIRTVS; aut in fine deeſſe vocabulis unam literarum, uti S & M in ALBINV. CAPTV. XS. pro X. MAXSVMVS. F. pro PH. TRIVMFVS, &c. de qua re optime inſtruunt Grammatici antiqui.

Tempus eſt vero, ut & de monetæ modernorumque nummorum ratione dicamus, quos quævis natio cudere cæpit poſt Imperii Romani ruinam, inque quibus linguarum & characterum in ſingulis provinciis diſcrimen apparet. Pleræque Europæ gentes, Galli, Angli, Germani, Batavi, Sueci, Poloni, aliæque nationes, nobis non Monetas tantum, ſed & memoriales numos, ad hiſtoriam utiles, ſuppeditant. Abbas *Bizot*, quo nemo modernos accuratius intelligit, monſtravit, quanta fieri poſſit ex illis & gloriæ eruditorum & utilitati publicæ acceſſio, in pulcherrima Hiſtoria Hollandiæ nummis illuſtrata, de qua etiam alio loco jam diximus. Non poſſum tamen mirari ſatis, ex tam ſplendido opere ſolum honorem

Hollandia nummaria Bizoti.

redundaſſe Bizoto, ipſique applauſus non niſi ſparſim ac parce datos apud nos æque ac apud exteros.

Characteres moderni. Omne vero id nummorum monetæque genus vernacula ſua exornatur, in Germania cumprimis & apud Batavos, in quibus Legenda ea ſubinde ſunt prolixitate, quam omnis prorſus ignorat antiquitas. Id notandum eſt tamen, plurimam eorum partem & linguam & characterem latinum retinuiſſe, conſentiente quaſi toto Orbe, non aliam fere linguam monumentorum publicorum titulis aptiorem eſſe. Verum neque id eſt obſcurum, characterem latinum immutatum ſæpius, in Gothicum degenerare in nummis æque ac in MSStis & Inſcriptionibus. Tantum abeſt adeo, ut illud vetuſtatem ibi quandam arguat, ut ſit potius poſteriorum ſeculorum indicium infallibile, ſiquidem quo propius aureo ſeculo, quod ſub Auguſto fuit, appropinquamus, & in quo Romanæ linguæ ſummus extitit nitor, hoc rotundior quoque eſt character, & ſcitus magis.

Pro-

Prolixius cupientem inſtrui de hoc argumento ablegamus ad Delicium eruditorum noſtrorum Dom. *Job. Mabilbon*, ejusque opus *de re Diplomatica*, cui nihil deeſt omnino, perinde ac neque Autori, ad laudem, quam apud exteros ſibi acquiſivit, ſuſtinendum. Mabilbon.

PRAECEPTIO VIII.

De Integritate Nummorum, quæ maxime eorum elegantiam ac pretium conſtituit.

PAuca quidem habemus de hoc argumento dicenda, ſed quæ tamen neſcire vix debet tyro omnem rationem a nobis edocendus, qua fraudes negotiatorum evitare felicius queat, qui videlicet pretium nummorum ex vetuſtate & figurarum detritione dependere perſuadent. Verum iſti lucro ſolum inhiantes mallent fortasſis, ut quis credat, eandem nummorum, quæ ſignorum militarium eſt, es-

ſe rationem, utpote quæ quo laceræ ſunt magis, hoc etiam elegantiora videntur, *quanto piu lacera, tanto piu bella,* ut ſymbolum habet imaginis libro præfixæ ſatis utique ingenioſo, cui titulus: *La povertà contenta,* i. e. Paupertas contenta.

Genuina integritas. Longe vero ſecus ſe habet cum nummis. Vetuſtas enim ſola nummũ non reddit elegantem pretioſumve, niſi plane integer ſit, ita ſcilicet, ut circuitus ejus & margo graniculatus, ut ſic loqui liceat, *(le grenetis)* non ſit corruptus, aut deformatus, utque figuras in utraque pagina habeat conſpicuas & epigraphas facilis lectionis.

Integritas ſuſpecta. Equidem nimia perfectio nummum interdum novitatis ſuſpectum reddit, unde Paduanum aut Parmeſanum opus *(le Padoüan & le Parmeſan)* ſuam jamdudum decoxit fidem. Interim firmiter inde concludi non poteſt, tales eſſe modernos, ſiquidem habemus ex omni metallo, & cujuſcunque quantitatis nummos vetuſtos veros, in quibus nihil deſideres, quos vulgo Cuſores *florem for-*

formæ ceu matricis (fleur de coin) appellitant; usque adeo enim ſunt elegantes, ac nitidi, tamque integri, ut quaſi primum e manu Cuſoris prodiiſſe poſſint videri.

Auget nummorum pretium *Ærugo ſive Vernis.* alius decor, quem, velut a ſola natura datum, nondum imitari valuit ars æmula. Scilicet æruginem ac colorem (*Vernis*) terra quædam certa inducit metallis, quæ cyaneo colore gemmam hujus nominis exæquat; aliis nummis adhæret coccineus color aut rubedo, ingenuitatis nota; aliis hyacinthinus nitidusque idem ac ſplendens, ærisque iſtius, ex quo apud nos ſtatuæ conflantur, nitorem longe poſt ſe relinquens, & cujus aſpectus neque hos etiam unquam fallit, quibus mediocris tantum nummorum notitia eſt, cum colorem aceto atque armoniaco ſale parabilem multum exſuperet. Talis ærugo admodum viridis eſt ac tenuis ſimul, ductibusque etiam delicatiſſimis, citra obliterationem, & encauſto melius ſe inſinuans. Ineſt ſolis Æris nummis; nam argento

to applicitus viror & rubigo illud corrumpit, ac eam ob cauſam aceto aut ſucco malorum citreorum effricari debet.

Nummi fruſtati quinam rejiciendi. Nummi, quibus aliquid eorum, quæ ad integritatem requiri diximus, deeſt, *Fruſtati* vocantur, ſive adeo ut ſit metallum accisum (*écorné*) aut rubrum, temeratusve margo, aut imagines paſſim laceratæ, Legendumve obductum, & caput aut facies demum vix queat cognoſci. Qui hoc modo ſunt comparati, non ſunt digni qui aſſerventur; ſed fortis magnitudinisque humanæ & viciſſitudinum memores ablegemus iſtos Principes, qui terrori fuerunt Orbi, cum viverent, in æris argentique fabrorum officinas.

Quinam conſervandi. Verum ſi id contingeret, ut quidam talium nummorum adeo rari, & unici inſtar exempli eſſent, aut alterutra paginarum integra eſſet omnino, Legendumque etiam ſingulare ac lectu facile, tunc ſuaſerim, ut conſervarentur, utpote vel ſic pretioſi ſatis. Non enim datur teme-

temere Muſeum, in quo non hujus modi extet unus alterve nummus, cum deputare ſoleamus in lucro, ſi rariora capita poſſimus nanciſci, tametſi vix ſatis dignoſcenda. Cumprimis autem oportet, ut nummos, quorum Legenda obſcure ſint licet, typus tamen integer, ne ſtatim abjiciamus, ſiquidem ex eruditis quidam ad miraculum usque obſcuras ejusmodi literarum notas norunt explicare; quæ felicitas Vaillantio contigit & Morellio, qui ſtudio levi adhibito verba characteresque vix oculis uſurpandos revocant & excitant veluti ad vitam.

Non alienum ab hoc loco eſt monere, quod margines nummorum, ex impetu formæ monetariæ fortius impreſſæ (*par la force du coin*) tenui rima diffiſſi, non ſint vitii nota, pretium eorum diminuentis, ſi modo damnum inde figuris nullum acceſſerit. Ex adverſo enim indicat illa res, nummum non eſſe fuſum, (*moulée*) & vere antiqvum. Verum tamen & hoc ſignum omni dubio non caret, ſiquidem moderni dantur ad exempla anti- *Nummi rimâ diffiſſi.*

antiquorum ficti, de quibus proxima huic præceptione diſſeremus. Neque enim inde certo colligi poteſt, num caput aut pars averſa ficta, ac recens adeo opus ſit, aut numne imo etiam fortaſſis utrumque.

Nummi ſerrati. Pari ratione nec ſpernendi ſunt Nummi, *qui oram habent denticulatam;* quando & ipſum hoc ingenuitatis nota eſt, talesque, proprio nomine, *Numiſmata ſerrata* vocantur. Sic compoſiti* Conſulares usque ad Auguſtum frequenter ſe offerunt; cujus poſt ævum nullos tales amplius videas. Offerunt ſe Regum Syriæ denticulati quoque ærei nummi, ſed in quibus ornatus cauſa ambitus ſic effictus magis quam neceſſitatis; quod & argenteis nummis accidit, circa quos monetariorum malities eo usque proceſſit, ut & formas monetæ imitarentur, refuſumque denuo æs lamina argentea incruſtatum ſat ſcite ſignarent. Cujus generis numiſmata *pelliculata* dicta ſunt (*fourrées*) de quibus nos quoque alio egimus loco.

Huic

Huic itaque malo ut rectius iretur obviam, ac fraus omnis poſſet detegi, denticulandæ, ut ſic loqui liceat, monetæ ratio eſt adinventa, formæque illæ omnes edictis promulgatis prohibitæ, quæ pellibus inductæ deprehendebantur.

Nummi pelliculati antiqui ſunt & rari.

Vnde duo jam potiſſimum conſeqvuntur. Primum quidem, pelliculatos nummos omnes vere eſſe antiquos cuſosque, cum nihil lucri ex prohibitæ monetæ adulteratione, velut extra commercium inutili, ad artifices rediret; Alterum vero, pelliculatos, ſi capitibus aut elegantiori parte averſa ſint exornati, majori longe gaudere pretio, quam qui ex probo metallo conſtant, quandoquidem cum rejecta eorum fuerit forma, valorque ita ſignatis ademtus, oporteat ut exiguus tandem devenerit eorum numerus. Cum vero & id eſſet animadverſum, ex magnitudine atque craſſitie, nummis pelle argentea inducendis natam occaſionem, labente Romani Imperii ævo tam exiles tamque tenues de-

inceps

inceps fiebant nummi, ut argentum prorſus non poſſet induci. Et hæc ratio plurimum valuit ad impediendam adulterantium fraudem.

Varia fruſtatorum genera. Sunt & alia adhuc integritatis nummorum obſtacula, quæ negligentiæ monetariorum debentur, veluti, quando interdum vultum duplicem pro uno, & gemellam epigraphen ſimplicis loco, nummis impreſſerunt, notabili vitio, quando porro aut literæ Legendorum ſunt invicem permutatæ, aut obductæ, aut minus convenienter collocatæ, quale quid contingit videre in Claudii Gothici & XXX Tyrannorum nummis. Non digna ſunt hæc monſtra quæ magni fiant, nec licet quoque iis tuto niti. Tametſi enim non obſtet ea res, quo minus antiqvus ſit nummus, tamen plurimum inde ejus pretio decedit. Perinde eſt cum aliis, qui faciem hinc Imperatoris alicujus, nugasque in parte averſa referunt, aut cum his, qui alium Imperatorem auctorem habent, quam cujus caput repræſentant, comparatum, qui videli-

cet

cet ne tanti quidem ſunt habendi, cum vel ignorantiæ, vel nequitiei adulterantium monetam ſint indices certi.

Eidem incuriæ adſcribendum, quod interdum in Nummis altera pagina deficiat, quod deprehēdere ſæpius licet in nummis modernis ab Othonis & Henrici Aucupis ævo cuſis. Verum licet etiam inter Conſulares antiquos, quin & Imperatorios inter, reperire tales ex ære, qui *Incuſorum* nomen habent. Ratio autem conformitasque facierum in ejusmodi nummis ſcrupulum injicere poſſet curioſo tyroni, ſiquidem in averſæ partis vicem eadem, quæ in capite extat, redit figura, quaſi ad efficiendam formam fuſilem ſtudio cuſæ. (*frappées pour en faire un moule.*) Non autem negaverim, vix me hactenus perſuaderi potuiſſe, ut crederem, incuriæ monetarii formæ alterius imprimendæ obliti, eſſe, quicquid hoc eſt vitii, adſcribendum, de cauſa longe alia ſuſpicantem, usque dum demum me docuit Abbas *Bizot*, Vir ſi quis alius *Nummi incuſi.* *Bizot.*

M

alius Staticæ ſeu librariæ artis intelligens, monetarii feſtinatione vel inadvertentia factum id eſſe, quippe qui, antequam cuſum nummum ſeponeret, alium ſubſtituerit orbiculum, (*un rond*) & cum in ejus una parte extaret typus, & in altera nummi modo cuſi figura, impreſſerit adeo utrique parti eadem capita, & inde quidem in cælatura, hinc vero in concavo, (*en creux*) ſed cum quadam ſemper imperfectitudine, ſiquidem major vis cubo ſeu typo fuerit, quam figuræ jam excuſæ.

Nummi contra-notati. Sunt & aliæ in nummis notæ, (*contremarques*) quas caveant tyrones, ne in vitiorum parte ponant, quaſi dedecori ſint nummis, quorum modo capitibus illæ appoſitæ videntur, modo parti averſæ, in majori cumprimis ac medio ære. Eruditi tamen ſtudioſe requirunt ejusmodi notulas, ex quibus pretia nummorum immutata perſpicere poſſunt, forte ut apud nos in ſolidis (*ſouls*) videre eſt, quos vulgus *Tappez* (notatos) vocat, ab ictu, qui impreſſionis profundioris notam reliquit. Id dolendum tamen,

non-

nondum inter antiquarios de ſignificatione characterem iſtorum convenire ſatis; N. PROB. idem quibusdam eſt ac *Nota probatæ monetæ;* aliis N. CAPR. *Nota cuſa a populo Romano.*

Eſt mihi Auguſtus æris medii, in quo literæ CAR. mea quidem ſententia, *Cuſa a populo Romano*, ſignificant. Et eſt mihi quoque Tiberius notatus (*contremarqué*) R. M. quas literas ſic interpreteris: *Monetæ pretium reſtitutum.* Verum quid N. T. duobus locis in æris minoris alio nummo ſibi velit, nondum potui divinare ſatis.

Sunt adhuc alii, quorum nota refert Imperatoris cujusdam vultum. Bithinianum talem unum poſſideo, in quo tria capita; vidique alios cum abundantiæ cornu. Iis vero qui S. C. habent, non multum impendendum eſt operæ, tanquam facilibus explicatu.

PRAECEPTIO IX.

De
Notitia Symbolorum & Ornamentorum in nummis conſpiciendorum.

NUlla res magis a ſtudio nummos colligendi abſterret curioſos, quam difficillimus labor, qui ſubeundus eſt non magis in explicando, quam cognoſcendo cumprimis eo, quod in nummis vident repræſentari. Equidem vultum Legenda produnt; ſed ornamenta, quæ iis accedunt, & ſymbola in averſa pagina expreſſa, totidem ſæpe ſunt ænigmata; quæ proinde cum obſcura ſint plurimum, crucem quoque figunt, niſi quis habeat forte levem ſaltem ejus cognitionem, quod ſe objicit. oculis. Huic igitur argumento deſtinata eſt hæc Præceptio.

Vtque planiora fiant omnia, ea primum explicaturi ſumus, quæ paginam Vultus exornant, ac deinceps reliqua, quæ in averſa comparent.

Quan-

Quantum igitur ad *Vultus* attinet, interdum ſola Capita in collum deſinentia, interdum thoraces ſeu *buſtas*, hoc eſt, humeris brachiisque inſtructæ figuræ, nonnunquam autem dimidiati corporis ſimulachra exhibentur.

Sola Capita tota ſunt interdum aut nuda, aut amicta diverſimode! Sed de Principum Capitibus tantum eſt Sermo. Nam diverſa Vittarum genera, quæ Auguſtarum aliarumque Fœminarum capita contegunt, propriis appellationibus nemo diſtinguat. Has oculis uſurpare, & deinde pro convenientia, quam cum noſtrarum mulierum calyptris & reticulis habent, ex arbitrio nominare convenit. *Varii habitus capitum. Fœminarum Ornamenta.*

In Imperatoriis Numis *Caput plane nudum*, plerumque filii Imperatoris, ſive veri ſive adoptivi, aut alia quacunque ratione hæredis, indicium facit. Talis eſt Nero junior, Ælius ab Hadriano, & Aurelius ab Antonino adoptatus &c. Aut indigitat Principes quidem, ſed qui nunquam imperio fuerunt admoti, ut *Capita nuda.*

Druſus, Germanicus, Antoninus &c. Sed enim quicquid ejus etiam ſit, certa tamen inde & ab omni exceptione immunis regula confici non poteſt; ſiquidem affirmanti, neminem coronam ante geſtaſſe, quam ad Imperium fuiſſet allectus, Cæſares juvenes poſſent oſtendi laureis cincti caput aut diademate, velut junior Conſtantinus & Conſtantius in Conſtantini familia. Ac ſi quis id ſaltem ſtatuere velit, omnes Imperatores regnantes aut corona aut diademate fuiſſe ornatos, in promptu ex adverſo forent plurima Auguſti, jam tum Imperatoris, Neronis, Galbæ, Othonis, Adriani, aliorumque Numiſmata, quibus capita ipſorum nuda omnino reperiuntur.

Capita amicta. *Amicta* quæ ſunt *Capita*, ea Diadema, Corona, Caſſis, Calantica peregrina, aut velum operit.

Diadema. *Diadema*, ornatus Corona vetuſtior eſt, Regibus proprius, quem collabentis Imperii Cæſares ſibi ſumſere. Faſcia textilis fuit, nunc latior, nunc anguſtior, cujus innodatæ tæniæ, in collum propendent. Poſt Con-

Conſtantinum demum, Cæſares Diadema uſurparunt, idque ſerie una aut duplici unionum vel gemmarum oneratum, idemque Conjugibus ſuis conceſſere, cum veterum Auguſtarum nulla Diademate honorata conſpiciatur.

Coronæ Imperatorum a Julio Cæſare usque utplurimum ſunt laureæ, quippe cui earum geſtandarum poteſtas a Senatu fuit data, uſurpata tamen æque deinceps a Succeſſoribus in Imperio. *Coronæ.*

Primus Juſtianus genus quoddam coronæ clauſæ adhibuit, depreſſioris interdum, ut vittæ (*bonnet*) ſpeciem præ ſe ferat, & planioris alias, velut mitræ fortaſſis aut birreta, mortariorum figuram referentia, Præſidum in curia Parlamenti noſtri, dicta inde *au mortier*, ſed ita tamen, ut crux ſit ſuper impoſita, ac ſæpe etiam ambiat circum limbus margaritatus duplex. Ea Cl. Cangio dicitur *Camelaucium*; Quod obſervatum eſt a quibusdam non raro confundi cum palliolo, ſive velo quod Galli *camail* dicunt, ob ſimi-

litudinem vocis, tametſi hoc tegendis inſerviat humeris, & illud operiendo capiti.

Radiatæ Coronæ datæ ſunt Principibus inter Deos relatis, ſive id ante ſeu poſt mortem ipſorum fuerit factum. Quod quidem coronæ genus ſolis Diis proprium eſſe, affirmat Caſaubonus. Verum neque hæc regula ſua caret exceptione, præſertim poſt duodecim priorum Cæſarum tempora. Novo exemplo vivus talem geſtavit Nero, qui tamen minime omnium illam promeruiſſe cenſendus eſt; ac neque Auguſto data eſt niſi jam fatis functo.

Offerunt ſe porro in nummis pluresaliæ Coronarum ſpecies, quas noſſe multum intereſt. Quædam vocantur *Roſtratæ*, quæ ex navium roſtris conſtant invicem connexis, poſt victoriam navalem diſtribui bene meritis ſolitæ. Talem ab Auguſto accepit Agrippa, cum maritimo prælio claſſem Pompeji & M. Antonii fortiter ſuperaſſet.

Quæ-

Quædam dicuntur *Murales*, ex quæ turrium ſimulacris conſtant, donatæ illis, qui primi Vrbium muros victores conſcenderant. Ornant eædem capita Geniorum Deitatumque, queis Vrbium tutela fuit commiſſa. Quare Cybele, telluris Dea, ac reliqui provinciarum gentiumque genii turritis ornati coronis conſpiciuntur.

Quercinæ ſunt aliæ iis deſtinatæ, qui in ſpectaculis publicis diſceſſerant Victores; Ita quippe in Ludis Iſthmiis Corinthi quondam celebrari ſolitis, victores coronabantur apio; cujus coronæ formam videre eſt in quodam Neronis nummo.

In honorem Antinoi, ex Loto Ægyptiaca coronam fieri curavit Hadrianus, ANTINOEIA dictam ab ejus nomine, inque nummis paſſim reperiundam.

Sacerdotes, ut Sacerdotii eſſet nota quædam, crania bovina immixta patinis, quibus victimarum inteſtina injecta, & funes, queis victimæ ad aras ducebantur, in coronæ formam effingebant. Talis in quodam Auguſti

nummo reperitur. Ejus vero, de qua Patinus agit in Tab. XIV. Gazæ Ducis Arſchotani, notatæ vocabulo ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ, materiem mihi non ſatis eſſe perſpectam, fateor quidem; ſed, cum coronam ipſam eſſe Pontificalem palam ſit, adjectivi adpoſitione opus non eſſe arbitror, neque etiam ut vox ΣΤΕΦΑΝΟΝ ſubintelligatur; quandoquidem ea ſubſtantive uſurpata dignitatem Pontificis Maximi, quam Auguſto deferebant Sacerdotes, jamdum clariſſime indicat.

Caſſides ſeu Galeæ. *Caſſidum* Romanæ ac Græcæ figuratio facile poteſt invicem dignoſci; quod capitis velamentum omnium fere eſt antiquiſſimum, ac frequens cumprimis in nummis, a Regibus, Imperatoribus, ipſisque Diis adhibitum. Qualis Romæ caput obtegit, ut plurimum duas alas habet annexas, ut Petaſo Mercurii videri poſſit. Quædam vero Regum caſſides cornua aut Jovis Ammonis, aut Bouis, aut Arietis juncta monſtrant, ad ſingularem

larem ipſorum fortitudinem deſignandam.

Ad *Calanticas peregrinas* referimus Mitram Regum Armeniæ & Syriæ, fere ſimilem iis, quas Epiſcopi apud nos ſolent geſtare, niſi quod ea interdum eſt aut quaſi quadrata, aut ſuperius denticulata. Qualis eſt in nummis Edeſſenorum Regis Abgari. *Calantica peregrina.*

Tbiara, quæ Pontificum noſtrorum coronis proxime accedit, erat Regum Perſarum Parthorumque propria.

Phrygum Armenorumque κεκρυφάλῳ ſeu mitra quidam ſolum Reges ſunt uſi. Reperitur enim illa in Midæ, Atys & Zemiſcis nummis, quorum videlicet pars averſa & adorationem Magorum & tres iſtos Principes mitra exornatos repræſentat.

Plurimi Græcorum Regum Herculem imitati capita *exuviis Leonis* condiderunt, quod Philippum Alexandri Patrem feciſſe videmus; & ad eorum exemplum ſe quoque compoſuiſſe quosdam Romanos Imperatores, Com-

Commodum ſcilicet, Alexandrum Severum, aliosque.

Velum. *Velum*, quod ſæpe Principum Auguſtarumque caput tegit, aut Sacerdotale officium, quod exercebant, aut apotheoſin ipſorum declarat, quo honore excepti Imperatores fuere usque ad Conſtantinum, cujus quoq; apotheoſis tolerata eſt in nummis, cum de tollendis una vice paganorum ritibus omnibus deſperarent Imperatores Chriſtiani. Sed vero quamprimum licebat, Principes Auguſtæq; ejus loco ſubſtituerunt *manum e nubibus prodeuntem, & coronam ipſis imponentem*, profitentes hoc ipſo, Deo ſe imperium ferre acceptum. In teſtem voco Eudoxiam cum marito Arcadio, Honorium cum Galla Placidia, aliosque.

Perſuadent hæc, non ex impio cultu procedere, quod quidam inclinante Imperio lucidum globum, quo Sanctorum vultus noſtris moribus cinguntur, quique *Nimbus* vocari ſolet, admiſerint. *Nimbus.* Clariſſime id patet in nummis Mauritii, Phocæ, alio-

rum-

rumq;. Subit autē hic recordari quorundam ſuperioris Imperii nummorū,in quibus capiti Principum quidam velut Solis radii circumpoſiti apparent. Ex adverſo Principes iſti,qui Imperio præfuerunt, a Zemiſci usque ad Juſtinianum *Rhinotmerum*, ſingulari pietate perducti non raro in nummis ſuis collocarunt vultum Salvatoris noſtri Sanctæque Matris, tali nimbo utrinque illuſtrium,de quo jam ſumus loqvuti.

Deorum Vultus, perinde ut Principum, aut corona ſuperbiunt, aut caſſide, aut velo aut mitra (*bonnet*) aut quovis alio ſymbolo,ex quo invicem dignoſcuntur. *Capita Deorum Dearumque.*

Siquidem *corona laurea* commonſtrat Apollinem, & Genium Senatus, quem vocarunt ΘΕΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟϹ & ΙΕΡΟΥϹΙΑ.

Corona *ſpicea* Cereris eſt ſymbolum.

Corona ex *floribus* contexta Floræ Deæ index eſt.

Corona *pampinea* Bacchum deſignat Bacchidesque.

Radia-

Radiata Corona Solem denotat, quando ſcilicet radii ex capite prodeunt, nullo incluſi circulo.

Galea Marti convenit & Minervæ, ſed *Noctua* illi inſidens, indubium Palladis eſt ſignum.

Birretum cum duabus alis Mercurii pileus, quem *Petaſum* vocant Latini.

Mitra ſimplex, quales forte ſunt illæ, quibus noctu caput ſolemus condere, prodit Vulcanum, Cyclopes, aut fabros.

Similis Vitta cum *ſtella* ſuperimpoſita, Caſtoris ac Pollucis eſt index.

Mitra Phrygia in acumen ſenſim incurvata tribuitur Deo Luno.

Medimnus, qui capitibus Serapidis Geniorumque omnium videtur impoſitus, Providentiam indicat, quæ juſta menſura diſpertit cuncta, & æque homines nutrit ac beſtias.

Teleſphorus Sanitatis Deus veſte, quali noſtri nautæ aut milites, dum hyberna agunt, conſueverunt geſtare, eſt indutus.

Juno ſæpiſſime conſpicitur velo tecta; ſed ea, quæ nuptiis Dea præeſt, ac *Juno Pronuba* audit, dimidium fere corpus velo, quod *flammeum* vocant, eſt cincta; ac Juno Soſpita capræ exuviis cornibusque duobus eſt amicta.

Sunt præterea Dii quidam nudi capita, addito ſymbolo ſpectabiles, apud Ægyptios cumprimis.

Apis eſt Taurus, florem Lotus intra duo cornua medium geſtans, notamque in fronte candidam, & creſcentis Lunæ imaginem albam ſupra caput.

Oſiris eodem gaudet ſymbolo. *Iſis & Canopus* floris ſpeciem præ ſe ferunt magis expanſi largiorisque quam eſt lilium. Florem ajunt eundem eſſe, qui Græcis vocetur Ἀβρότονον. Vtrique Canopo maſculo fœminæque eſt communis, teſtibus quibusdam nummis; hoc tamen obſervato diſcrimine, ut Deus retineat Canopi nomen, Dea vero Eumenythis appelletur.

Spes

Spes Dea ipſum hunc florem portat, ſed ſpecie tenus lilio proprius accedentem.

Panthe-on. Non mihi poſſum temperare, quin vel tribus verbis de eo, quod *Pantheon* vocant, hoc loco diſſeram. Eſt autem illud congeries ſymbolorum diverſis Numinibus repræſentatis convenientium. Exemplo ſit nummus quidam Antonini Pii & Fauſtinæ junioris, in quo ſimul videre eſt Serapidem ex medimno, Solem ex corona radiata, Jovem Hammonen ex cornubus, Plutonem ex promiſſa barba, Neptunum indicio tridentis, & Æſculapium ex ſerpente manicæ advoluto conſpicuum.

Dn. Baudelot in diſſertatione, quam de Diis laribus ſcripſit admodum erudita egregiarumque rerum refertiſſima, *Panthea* ab eorum ſuperſtitione originem ducere arbitratur, qui, cum in tutelam domuum ſuarum plures adſciſcerent deos, ſingulos una junctim repræſentarunt ſtatua, exornata tamen diverſis Deorum iſtorum Dearumve

rumve ſymbolis; Idemque in aſſertionis ſuæ fidem exempla ære curavit cælari.

Thoraces adjuncta habent ſymbola ſibi propria, in nummis æque ac Metallionibus nummulisque item inferioris imperii. Si enim brachium utrumque adſit imagini, tunc alterutri manuum videmus imponi *Globum*, Imperii Orbis totius indicem. Huic globo inſidet quandoque *Victoria* alata, Coronam offerens, ut denotetur victricibus armis ſummæ rerum potitum eſſe Principem; Interdum tamen *Crucis ſignum*, poſt Conſtantini M. præſertim ætatem, qua teſtati ſunt Principes, ſe *Jeſu Chriſto* referre imperium ſuum acceptum, quem ideo quoque Regum Regem conſueverunt appellare. *Thoraces.* *Globus.*

Sceptro, quod manibus tenent, qui habitu conſulari ſunt induti, quo conſpiciũtur fere ſemper Imperatores CPltani, inſidet globus & Aquila, quibus ſignificatur, Principem ex ſuo arbitrio ac ſolum imperare. Ab Auguſti usque ævo Conſulare iſtud ſceptrum, *Sceptrum.*

ptrum, de quo ſermo nunc eſt, apparet.

Primus omnium Phocas ſceptrum ornavit cruce, ejusque exemplum imitati reliqui Sceptrorum figuris cruces varias, nec eas etiam unius magnitudinis ſubſtituerunt.

Thoraces galea & clypeo armatæ utplurimum quoque haſtam aut manu tenent aut ferunt humeris impoſitam.

Ferula. Tunica vero quæ ſunt veſtitæ, inclinati Imperii ævo, ſceptrum habent ferulæ ſimile, ΝΑΡΘΗΞ vocatæ, quæ ex calamo conſtat ſatis longo, ſuperius tamen in quadratam planamque formam deſinente. Vſus ejus jam tum etiam apud Græcos quondam invaluit, quippe qui Principes ſuos ſolebant appellare *Narticophores.*

In familia Conſtantini, inque quibusdam aliis ſæpe conſpiciuntur Prin-
Labarum. cipes cum *Labaro*, quod vexilli equeſtris fere ſpeciem habet. Quadrata eſt forma, cui impoſitum monogramma nominis Chriſti, quo in vexillis

xillis ſymboli vice utebatur Conſtan-ſtantinus, poſtquam amplexus erat Chriſtianam fidem, additis Græcorum literis Α & Ω ex utroque latere, quibus divinitatem Chriſti indicari, ipſiusmet verbis in Apocalypſi Johannea notum eſt, quando dicit: *Ego ſum α & ω principium & finis.*

Fulmen additum quandoque capitibus Principum, velut Auguſti, denotat autoritatem ipſorum liberam prorſus (*ſouveraine*) & potentiæ Deorum æmulam æqualemve. *Fulmen.*

Inde ab Anaſtaſio ævo manibus Imperatorum indita videtur ſpecies quædam *Sacculi*, aut aliud quidpiam oblongum complicatumque, quod quid ſibi velit, eruditorum oculis nondum eſt cognitum ſatis. Sunt, qui aſſerunt, eam figuram eſſe *linteolum complicatum*, quale ludorum magiſter ſolebat e ſede ſua projicere, cum repetendis iis ſignum daret; allegantque illi in teſtimonium aliquot Conſulum imagines, in quorum manibus ſimile quid perinde compareat. Alii ex adverſo ajunt, ſacculum iſt- *Acacia.*

hunc cinere ac pulvere repletum eſſe, offerri videlicet ſolitum Imperatoribus cum conſecrarentur, dictumque AKAKIA, quaſi qui deberet eſſe medium innocentiæ perpetua mortis meditatione conſervandæ, cujus ſymbolum ſit pulvis. Forte etiam hi, quibus id Volumen chartæ tabularumque (*memoires*) Principibus aut Conſulibus oblatarum, & quod, dum reſponderent, manibus tenebant, videtur, æque firmo nituntur fundamento, ac illorum conjectamenta, idque vel eo magis, quoniam, ſiquidem integræ ſunt ſtatuæ, utplurimum pedibus Principum adjacere videtur capſula, facta ideo, ut condendis iſtis chartis, ceu veroſimile ſit, inſerviret.

Luna creſcens. *Luna creſcens* ſæpe ſuffulciendæ Principum fœminarum thoraci eſt adhibita. Ipſæ ſiquidem eum in Imperio, cui Solis inſtar Princeps eſt, occupant locum, quo Luna in cœlo gaudet. Deus Lunus idem ſymbolum ſibi proprium humeris geſtat, ex anili quorundam ſuperſtitione, qui Lunam credebant eſſe maſculum, in-

felix

felix eos rati contrahere matrimonium, poteſtateque domeſtica exui, qui ipſam colerent ut deam.

Thoraces *Amazonum* utplurimum ſunt armatæ clava bipenni (*bache d' armes*) humeris ipſarum impoſita, manuumque alterutra tenent clypeum in Lunæ cornutæ formam effictum, qualem Latini vocare ſolent *Peltam*. *Arma.*

Fabri ferrarii malleum bicipitem, & Vulcanus forcipem cum malleo geſtant, quibus ſæpe in nummis additur incudis imago.

Anubis thoracem caput caninum prodit, & ſiſtrum Iſidis, quod manui indi conſuevit. Exuviæ Leonis & clava ſymbolum *Herculis* & eorum Principum ſunt, qui aut ſuum genus ad illos retulere, ridicula ducti ambitione, aut laborum ejus videri voluerunt æmulatores.

Agmen thoracum claudant *Dimidiata Corpora*, (*qui vont jusq' à my-corps*) qualia reperire ſubinde licet in Metallionibus aut Nummis maximi moduli. Ea præter ſcutum & haſtam

eqvum etiam fræno cohibitum ſimul habent additum, quo victoriæ aut in ipſis præliis aut in ludis ſaltem reportatæ deſignantur.

Averſa pagina. Cum vero paginæ averſæ ſibi ſolis vendicent ſymbola, quæ qui non habent perſpecta ſatis, neque doctrinam, quam petunt inde curioſi, capere recte poterunt; ideoque majori cum accuratione ac ſtudio diſtinctèque cumprimis de iſtis nunc erit agendum.

Quædam annexa ſunt figuris, alia ex adverſo aut ſola conſpiciuntur aut ſeparata ſaltem, & alia demum, quæ figurarum ſimul obeunt vicem, ſive hominum illæ ſint ſive rerum ſenſibus expertium.

Ex his igitur, quæ figuris annexa, quædam rurſus ſunt pluribus communia, ac neque niſi Legendorum ope poſſunt invicem commode diſtingui. Alia vero & ſola ſunt & Legendi ſimul explent partes ſicubi illud deeſſe contingat. Abſente enim licet Legendo, tamen quin figura manu tenens fulgur & ad pedes aquilam ha-

 bens,

bens, Jovem, & ea, quæ Lyram tangit, lauruque cinctum refert caput, Apollinem innuat, dubio omni caret.

Haſta, quæ telum eſt nullo armatum ferro, aut potius ſceptrum, quale olim uſurpaſſe conſtat Reges, longius tamen iis, quæ hodie recepta ſunt, Diis ſingulis convenit, bonitatem ipſorum ac providentiam benignam ubivis ac efficacem deſignant. Originem ejus conſuetudinis, qua ſceptra Diis data, ex majorum ſuperſtitione repetit Juſtinus, quippe qui a mundi usque initio ſceptrum æque divino proſeqvuti ſint cultu ac Deos ipſos; Procul dubio inde, quia ſtatuarum tunc exigua adhuc erat copia. Neque enim perſuadeor ut credam, tametſi id velint verba Juſtini, quod adoraverint homines ſceptra tanquam Deos ipſos. *Haſta.*

Patera, cujus uſus erat quondam in ſacrificiis peragendis, perinde manibus Deorum & quandoque etiam Principum conſuevit inſeri, & ideo quidem, ut horum Sacerdotalis poteſtas juncta Imperatoriæ, ex digni- *Patera.*

tate Pontificis Max. & illorum cultus, ſacrificiorum cumprimis oblatione, præſtitus, indicaretur. Quare interdum videre eſt additam Aram, in quam effunditur quaſi patera.

Cornu copiæ. *Copiæ cornu* perinde Diis omnibus attribuitur & Geniis, ac Heroibus, tanquam divitiarum, felicitatis ac abundantiæ bonorum omnium index, bonitate illorum ac horum virtute paratæ. Contingit duo cornua nonnunquam conſpici, quæ adeo copiam rerum plurimam indigitant.

Caduceum. *Caduceum* æque eſt ſymbolum pluribus commune, tametſi alias Mercurio proprium, felicitatem ac pacem denotans. Conſtat autem ex baculo, poteſtatis indice, ſerpentibusque duobus, quæ prudentiæ ſunt nota, ac duabus alis, quæ ſingula conatibus hominum perficiendis quam maxime ſunt neceſſaria.

Symbola, quæ mihi *unica* ſive *ſola*, vocantur, carent numero. Quare ea tantum, quæ ſæpius occurrunt, ſufficiat indicaſſe.

Thyr-

Thyrſus, qui pertica eſt cincta edera ſive pampino, Bacchi eſt ſymbolum, ejusque comitum, ac notat furorem, qui ex nimio vini hauſtu ſolet mentibus potantium illabi. *Thyrſus.*

Fulmen in manu thoracis, aut ad latus ejus aut ſupra caput collocatum, *Ve-jovem* prodit, ſeu Jovem iratum ac fulmina projicientem; niſi forte ſit potius Imperatoris cujusdam caput. His enim æque ac Diis turpis quorundam adulatio fulgura appoſuit. *Fulmen.*

Lauri ramus, ſi quem Imperator manu tenet, victorias ejus triumphosque reſpicit, quemadmodum *oleago* pacem, quam vel dedit populis vel integram conſervavit Princeps. Reliquæ vero plantæ ſuam ſingulæ terram natalem, velut roſa inſulam Rhodum, &c. oſtendunt. *Lauri ramus.*

Duæ manus ſibi invicem junctæ concordiæ privatorum, aut fœderum aut amicitiæ ſunt ſymbolum. *Manus junctæ.*

Signum militare, ſeu vexillum in ara collocatum, novæ Colo- *Signum militare.*

niæ eſt index, quarum quippe ſucceſſus a Deorum pendent tutela. Coloniam vero intelligo a veteranis militibus conditam; Id enim vult ſignum, cujus ſi adſint plura exempla, tunc palam fit, milites ex Legionibus diverſis coiviſſe in ſocietatem itineris.

Clavus. *Clavus* globo ſuper impoſitus, & cui additi ſunt faſces, liberam Imperatoris denotat poteſtatem; In quodam Julii Cæſaris nummo poſita ſimul Caduceum, copiæ cornu, & vitta Pontificis Max. ſymbola ſunt pacis, felicitatisque temporum ac religionis a Julio datæ conſervatæque in Republica.

Clypei. *Clypeus* aut vota publica ſignificat, diis facta, pro Principum ſalute, aut quod civium ſalus ac ſecuritas Principum curæ crederetur deberi. Appellabantur *clypei votivi*, appendique ſolebant aut aris aut columnis templorum. Duo conſpiciuntur exemplo novo in Antonini Pii nummo, quibus addita vox eſt *Ancilia*; Denotatur autem iisdem, facta ad clypeum fatalem cœlo demiſſum, & a duodecim iſtis

ſimi-

ſimilibus alium, alluſione, eum Principem fata Imperii in ſua habere poteſtate.

Vaſa aut *Vrna* menſæ impoſita, ex qua palmæ prodeunt, coronæque ad latus collocatæ cum *ſympulo*, quod eſt vaſculum, quo libabantur ſacrificia, ludos deſignat, quibus ſacrificia utplurimum fuerunt juncta. *Ludi.*

Navis agitata gaudium ſignificat, felicitatem, ſucceſſus & ſecuritatem. Quando vero figuris turritis ea videtur adpoſita, tunc indicat urbem maritimam, in qua ſit vel portus vel emporium. Sed quando ad victoriæ alatæ pedes eſt ſita, tunc prælium navale, quo victa eſt hoſtium claſſis, deſignat. *Naves.*

Vva abundantiam, lætitiam, & feracem Vini tellurem indigitat. *Vva.*

Vna duæve *Lyræ* nota ſunt earum Vrbium, in quibus Apollo cultus tanquam Muſarum Deus. *Lyra.*

Modimnus, ex quo ariſtæ prodeunt, aut papaver, ſymbolum ubertatis eſt, frumentique aliunde in- *Modimnus.*

popu-

populi annonæ caritate preſſi ſolatium allati.

Signa militaria. *Signa militaria*, quorum numerus ad quatuor usque excurrit nonnunquam, aut victorias ſignificant, aut Legiones, aut Sacramentum Imperatori dictum, aut Colonias a militibus conditas, aut vexilla ab hoſtibus capta, receptaque vi, aut ab iisdem ſponte reſtituta. Cujuslibet Legionis primarium ſignum eſt aquila; Reliqua ſunt cohortium, diſtinguenda tamen a ſignis equeſtribus.

Baculus Auguralis. *Bacillum* leviter a ſummo inflexum, quod *Lituum* vocant Latini, ſymbolum eſt augurum, deſcribendo ab ipſis cœlo adhibitum. Sæpe autem adjunguntur pulli, queis cibus porrigitur; aut aves in aere volitantes, quarum obſervabatur volatus. Et ex his perinde atque ex illis de futuris poſſe fieri vaticinium, credebant augures.

Vitta & ſupellex Pontificalis. *Vitta* ſubtus decuſſatim acuminata, cum duobus pendulis, quæ Romani *Apicem* vocabant & *flamina*, ſive ſola, ſive ſuppelle-

ctili

ctili reliquæ addita, cujus in ſacrificiis erat uſus, vaſi ſcilicet, patinæ, aſpergillo, ſecuri, ac capiti animalis, cultro & ſympulo, eſt nota dignitatis Pontificalis & Sacerdotalis. Caput enim eſt victimæ; ac ſecuris ei occidendæ, patina recipiendis inteſtinis, offerendæque carni, culter iis diſſecandis, vaſculum infundendæ luſtrali aquæ, aſpergillum aſpergendis ſpectatoribus, iisdemque adeo purgandis, ac Sympulum denique libationibus effundendoque in victimarum capita vino, inſerviebat.

Sella Curulis Magiſtratum ſive ſit illa Ædilium, ſive Prætorum, ſive Conſulum, denotat. Singulis enim erat jus utendi curru eburneo. Quod ſi haſta illa eſt transfixa, ſymbolum tunc eſt Junonis, ac conſecrationis Principum fœminarum. *Sella Curulis.*

Quoddam navis ornamentum incurvatum, quod Græci ἀκρο-τήριον aut ἀκροστύλιον vocant, victorias maritimo prælio reportatas, naveſque ſubmerſas, aut Vrbem mari *Ἀκρωτήρια.*

ad-

adjacentem, velut Sidonem, quandoque indicat.

Currus. *Currus* ſive ab equis, ſeu Leonibus aut Elephantibus ductus, vel triumphorum vel apotheoſeos Principum nota eſt. Obvelatus vero currus & a mulis vectus ſolum reſpicit Principes fœminas, earumque conſecrationem, honoremque iſtum, quo, circumducta ipſarum in ludis Circenſibus imagine, etiam poſt mortem afficiebantur.

Turris. *Porta Vrbis turrisve* figura, qualis occurrit poſt Conſtantini ævum, cum vocibus *Providentia Auguſti*, aut granaria denotat in populi fame preſſi ſublevamen exſtructa, aut juxta alios Conſtantinopolin urbem; quorum opinio ſtella ſuperimpoſita, quæ ſymbolum ejus Vrbis peculiare eſt, nititur.

Calathus florum plenus. *Calathus* florum pomorumque plenus fertilitatis eſt argumentum.

Equulei. *Eqvulei cum ſepimento*, quale videre eſt in Licinii nummo, indicant caſtra munita contra hoſtium incurſiones.

Tripus

Tripus ſive patulus ille ſeu te-ctus, cum cornice & Delphino, ſymbolum eſt XV-Virorum, qui cuſtodes erant Oraculorum Sibyllinorum, eademque, cum res poſceret, conſulebant. Repoſita autem erant illa ad ſtatuam Apollinis Palatini, cui videlicet ſacra eſt cornix, cujusque ſignum eſt delphin in ceremoniis XV-Virorum. *Tripus.*

Zodiacus mediique Signa inter cœleſtia Sol ac Luna, felix Principum ſydus denotant, ſingulorumque in Republica civium ſalutem, quam, velut aſtra Zodiacus, ſic Princeps ſuſtentet. Exemplum videre eſt in Alexandro Severo. *Zodiacus.*

Sceptrum utraque cuſpide globatum, in formam baculi Imperatorii (*un bâton de commendement*) vulgus antiquariorum conſuevit appellare *Parazonium*, quo vocabulo intelligi volunt pugionem, aut gladiolum cingulo inſeri ſolitum. Sed enim ipſa figura, ac modus etiam, quo tenetur ille, impugnant hanc opinionem. Solus extat Galbæ nummus, in quo *Parazonium.*

quo *Honoris* & *Virtutis*, quarum illa ſurſum erectum manu tenet *Parazonium*, cuſpide altera genu obnixa. Tum & Titus ac Domitianus lateri quisque ſuo baculum talem applicant, non vero cingulo. Antonini Pii nummum refert Patinus p. 228. in quo *Parazonium*, quod ipſe *Scipionem* vocat, utrique humero transverſim eſt injectum, velut pharetra. Quin in ipſa etiam Veſpaſiani nummi averſa pagina, qua Romam conſpicere
Tab. 25. eſt *Parazonio* armatam, ne ulla quidem ratione conjicere licet, aut illud eſſe cingulo inſertum aut inſeri poſſe, neque adeſt etiam, quo prenſari forte poſſet, qui gladiorum primaria pars eſt, *capulus*. Ac neque cæterum conſtat ſatis, cui uſui inſervire potuerit iſthoc armorum genus, ſi verum eſt, quod quidam affirmant, gladiolum eſſe hebetem obtuſumque. Quodcunque enim hic ſibi fingant ſomnium, qui docent inde, Principis eſſe
Tab. 41. 55. Gazæ Ducis Arſchotani. iram ac pœnæ rigorem clementia temperare, enſis tamen non eſt inventus niſi ut

noceat

noceat occidatque. Tum & enervatur hæc opinio Antonini Pii ac Elagabali nummis, in quibus hic armatus eſt haſta, cujus utraque cuſpis interdum conſpicitur acutiſſima.

Rota viarum publicarum Principis cura juſſuque reſtitutarum eſt index, velut *via Trajana.* Ad pedes fortunæ aut Nemeſis ſiquidem ea jacet, ſupplicia hinc quibus malefici afficiuntur, & illinc mobilitatem & inconſtantiam Deæ ſignificat. *Rota.*

Deos Deasque fere omnes ex peculiaribus ſymbolis licet cognoſcere, ex quibus tamen potiſſima tantum hic allegabo. *Dii Deæque.*

Jovem prodit fulmen & aquila, *Neptunumque* tridens ac delphin. *Dii maritimi*, Melicerta, Palæmon & Portumnus, ſive ſint unus deus triplici nomine cultus, ſeu vere demum tres dii, eodem gaudent ſymbolo; repræſentantur enim ſub infantis, quæ Delphino inſidet, imagine, denoctantque ludos Iſthmios a Siſypho in Melicertæ honorem inſtitutos.

Junonis index eſt Pavo, poſtquam, videlicet Argum fidum ſibi vaccæ humanæ cuſtodem in hanc avem transmutaſſet.

Æſculapio, Hygeæ & *Saluti* adpoſitus eſt Serpens; & iſte quidem inventor artis prædicatur, quam Medici fruſtra hactenus quærunt, nimirum juventutis vigorisque priſtini ægrotis ac ſenibus reſtituendi.

Bacchum coronat pampinus lætitiæ nota, quam Vinum efficit, manu tenentem poculum, ſemper potui & ſibi & aliis propinando paratum. Pantherus ad pedes ipſius jacens rabiem ſignificat, qua, qui vinum largius ſumunt, ſolent laborare; Tum & inſertus manui eſt thyrſus, currumque trahit par tigrorum.

Canopum Deum Ægyptii repræſentavere cum vaſe fictili, ex quo caput prodit flore Iſidis ornatum. Vas iſtud aqua plenum rimisque undiquaque cera obturatis, extinguit Perſarum ignem, qui reliquos Deos omnes perinde conſumit admotus.

Aſtarta Sydoniorum Dea currui cum duabus rotis inſidet. Iſta ejus imago circumferri ſolita eſt ad ſtipulandam a civibus pecuniam. Verum de ejus nomine æque ac de figura nondum convenit ſatis inter eruditos.

Cybele coronam turritam geſtat, quoniam terra Vrbes ſuſtinet. Leones, qui ad pedes ejus ſunt proſtrati, amoris, quo erga Atym ferebatur, vehementiam indicant. *Crotalo*, quod cymbali genus eſt, Sacerdotes Cybeles ſolebant canere, velut ſiſtro Iſidis myſtæ.

Cererem ex corona ſpicea cognoſcimus, exque curru a ſerpentibus tracto, & ex faculis demum ad montis Ætnæ ignes accenſis, ad inveſtigandam alicubi raptam a Plutone Proſerpinam.

Dianam ornat Luna cornuta, arcus ac pharetra, habitusque venatorius; & curru ipſa a cervis ducto vehitur.

Dianæ vero *Epheſiæ* typus eſt omnino peculiaris. Siquidem mammil-

tas præ ſe fert quamplurimas, cum mater rerum omnium credatur; Ac ſuſtentaculis duobus innititur, prope pedes modo cervos habens, ac modo boves, & in capite corbem fructibus plenum. Quæ omnia quid in receſſu habeant, erudita Diſſertatione de *Diana Epheſia* expoſuit Cl. *Meneſtrierius*.

Venerem conſtat manu tenere pomum, quod ipſi adjudicavit Paris, cum de formæ præſtantia invicem rixarentur Deæ. Eandem monſtrat filius puer Cupido, & clavus, ceu nota poteſtatis, quam in homines exercet amor, interdum etiam clypeus & galea, ad vim ac robur amoris indigitandum.

Pacem ex ramo olivæ videre eſt, aut ex facula, qua ea armorum accendit congeriem.

Providentia Dea virgulam manu geſtat, qua tangere quaſi globum videtur, ut innuatur, per eam regi Orbem totum.

Abundantia manu tenet ſpicas ex modimno prodeuntes. Eſtque hæc

ima-

imago Principum, quorum cura providendæ caritati debet incumbere. Addita nonnunquam eſt navis, frumentum innuens aliunde allatum.

Pietas utplurimum aut velo tegitur, aut manus tendit ad cœlum ſupplex, aut iisdem apprehendit templum, aut acerram, ſpargendo in aram ſuffitui. Ad pedem ſtat ciconia, quoniam hujus avis imago publicis privatisque ſupplicationibus admovebatur, inque officiis erga parentes præſtandis, quippe cum ciconiæ ſenes parentes dicantur enutrire, ideo & ab Ebræis Latinisque dictæ ſunt *aves piæ*.

Libertas una manu pileum tenet, quoniam ſervi nudi caput incedebant, & altera virgam, quam *Vindictam* dixere, & qua leviter manumittendos percutiebant Heri, velut in ſignum ſublatæ adeo ſervitutis.

Veſta manu geſtat facem, ut notam æterni ignis, ſub cujus etiam nomine colebatur.

Liberalitas manu tenet quadratam tabellam, adpenſam, notatamq; certo

punctorum numero, quo ſignificatur, Principem & frumentum donaſſe populo & pecuniam. Ea vero præeſt Congiariis omnibus.

Pudicitiam tegit velum, digitumque eadem opponit ori, ad temperandam habitus ſermonisque rationem.

Securitas temere inſidet currui, caput ſubnixa manu, quaſi cui nihil ſit uſpiam metuendum.

Fortuna modo ſedens, ac modo ſtans erecta, manuque tenens clavum, repræſentatur, quia eam perſuadebantur pagani regere omnia: Rota lateri adpoſita inconſtantiam ejus notat, ſed cornu copiæ, quod ei datur ſubinde, indicat cæcam bonorum ac inconſideratam in homines diſtributionem.

Termini appellantur ſtatuæ, quibus & bracchiæ deſunt ac pedes; Ac ſi fides habenda Polybio, controverſiis gentium de limitibus regionum illi ſuam debent originem, quibus ſopitis ſtatuas illæ ponebant Diis, quos transactioni ſuæ præfuiſſe perſuadebantur. Vnde notum eſt, apud Crotonia-

niatas & Sybaritas *Jovis Terminalis* cognomentum.

Æquitas ac *Moneta* libram tenent. Ac nec raro etiam tres apparent figuræ Monetæ ſymbolum, quarum ad pedes jacet fornax, & quæ argentum ſignificant aurumque & æs, ex quibus ſcilicet conflatur moneta.

Duæ figuræ, quas inter medium locum occupat vox OMONOIA, fœdera Vrbium certarum mutua indicant, quorum in fidem ac teſtimonium & firmitudinem advocabantur ea ratione dii.

Duæ imagines, quarum ad pedes Rota ſita eſt, & quæ ora digitis claudunt, vindices criminum Deæ ſunt, *Nemeſis* dictæ. Severitatem notat rota, & digitus ori admotus vetat accuſari juſtitiam Dei, quaſi quæ videatur interdum parcere malis, ut boni calamitate ac pœnis afficiantur. *Lento enim gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, ſed tarditatem ſupplicii gravitate compenſat*, inquit Valerius Maximus.

Tres figuræ, quæ ſe mutuo compleſtuntur, quaſi ſaltaturæ, *Gratiæ* vocantur.

Tres aliæ, quæ velo, quaſi aura inflato, caput obtegunt, *æternitatem* ſignificant, in qua tria, præteriti nempe, præſentis ac futuri, temporis ſpatia unico momento, humanæque rationi prorſus incomprehenſibili, ſimul pereunt. Eadem repræſentatur ſub Solis aut Lunæ facie, in manum figuræ cujusdam repoſita, cum utrumque iſtorum Deorum crediderint Ægyptii eſſe æternum.

Tres porro *aliæ* manus faculis accenſis armatæ ac pugionibus, capitaque ſerpentibus horridæ, *Furiæ* ſunt, quas & *Eumenides* dixere & *Erynnies*, quæ diſcordiam armaque & ignem inferunt rebus humanis.

Minores quatuor aliæ quatuor anni vices innuunt; ac ſola quidem una veſte induta, Hyemem, qua ſcilicet arcere ſolemus frigus; Autumno, quo commodum venationi tempus, additus eſt lepus; Ver corbem floribus

bus plenum portat, & Æſtas denique falcem meſſi immittendam.

Ingentis lapidis ſpecies, in formam montis curru tracti, *Solem* repræſentat, qua ſcilicet ratione ab Helagabalo fuit cultus, ex eorum ſententia, qui lapidem eum eſſe totum igneum perſuadent. Stella, qui ſuperius conſpicitur, eſt Phôſphorus, Sydus hoc præcurrens, diſtinguendisque ipſius a Caracallæ nummis ſimul inſerviens.

Orientem Solem refert figura nuda ac radiis caput cincta, manu tenens flagellum, ſuæ velocitatis indicem.

Lapis in formam pyramidis exſtructus inque templo collocatus, additumque par columbarum, *Veneris* imaginem, qualis in Papho inſula colebatur, deſignat.

Jovem æque ſub lapidis forma conſtat fuiſſe cultum, appellatumque ideò *Jovem Lapidem*. Quare etiam qui Græcis dictus eſt ΖΕΥϹ ΚΑϹΙΟϹ, formam habebat montis in templo poſiti. Eademque ex ratione creditur mons Argêus in Cappadocia toties in nummis reperiri.

Figuræ, quæ ſedent, urnaque innituntur, *flumina* ſignificant, eademque alias velut dimidiata corpora aquis innatantia apparent.

Flumina.

Lectis impoſitæ figuræ ritum iſtum paganorum reſpiciunt, quem *Lectiſternium* vocavere. Scilicet, cum urgerentur neceſſitate publica, qualis forte eſt peſtis, Deorum quorundam, ut Apollinis, Dianæ, Cereris, Fortunæ, Neptuni, Herculis, Mercurii aliorumque idola lectis imponebant, ut calamitatis tandem fieret finis. Titus Livius ejus ritus, ab Arnobio graviſſime reprehenſi, originem ab anno CCCLVI. V. C. repetit.

Provinciæ. *Provinciæ* ſingulæ invicem ſemper fuerunt diſtinctæ, aut habitu aut ſymbolis quibusdam aliis.

Africam conſpiciendam præbet Elephanti caput, ſcorpioque aut Serpens, aut Leo, quæ animalia in Africa potiſſimum naſci in vulgus eſt notum.

Aſiam prodit ſerpens aut clavus, quaſi quæ, niſi navium beneficio, adiri non poteſt a proficiſcentibus Roma.

Euro-

Europa peculiari ſymbolo non gaudet. Nummi enim iſti, in quibus Europa a Jove in taurum transformato rapta conſpicitur, a *Scydio* ſunt omnes conficti.

Macedonia aurigæ flagellum manu tenentis habitu incedit, vel ideo, quoniam ea regio equorum optimorum ferax erat, aut quia Solem cumprimis incolæ proſequebantur cultu. In nummis tamen ejusdem regionis videmus quoque interdum Herculis clavam, quippe a quo Reges Macedoniæ genus ſuum repetebant, inſtituto vaniſſimo.

Mauritaniam indicat Eqvus curſor, & virgula; Equi enim iſtius regionis cum velociſſimi eſſent, neque calcare indigebant nec fræno.

Ægyptum ex Siſtro, Ibi & Crocodilo, *Achajam* ex Vaſo floribus referto, & *Hiſpaniam* ex cuniculo cognoſcimus, quo animalium genere ea paſſim abundat regio, a Catullo ideo dicta *Cuniculoſa*. Eadem vero militari nonnunquam habitu eſt induta, clypeum tenens, & par haſtarum, quibus fortitudo

tudo ac robur gentis, velut per ſpicas interdum, regionis ubertas, indicatur.

Gallia ſpeciem haſtæ geſtat, *Gæſum* Virgilio dictam, eſtque ſago, ſive tunica militari, induta.

Judæa perinde tunicata incedit, ex palma, quam tenet, notabilis, idque ideo, quoniam pars eſt Phæniciæ, cui peculiaris eſt Palma, cujus nomen ΦΟΙΝΙΞ illa etiam eſt mutuata.

Arabiam indicat Camelus, non ſolũ, quod animal illud inibi velocitate eqvum ſuperare affirmat Ariſtoteles; ſed & balſami ac thuris arbuſcula.

Dacia habitu fœminæ geſtat haſtam, & aſini caput, roboris indicem, quippe cum honorifico vocabulo animal iſthoc ζῶον ἀνίπτητον appellaverint priſci, iisdem etiam Principes Orientis equorum loco ſunt uſi.

Siciliæ ſymbolum eſt caput inter tres coxæ imagines medium, quibus tria ejus inſulæ promontoria innuuntur. Tenet ipſa quoque falcem interdum & ſpicas, fertilitatis indices.

Pan-

Pannoniam referunt duæ fœminæ veſtibus indutæ, cum ſit frigida ea regio, & manu tenentes ſigna militaria, ad fortitudinem gentis declarandam.

Italia tanquam Regina mundi inſidet globo, ſceptrum tenens, cornuque copiæ, & corona turrita, ob urbium queis abundat numerum, caput exornata.

Germania procerioris fœminæ habitu conſpicitur cum haſta, & clypeo, longo magis coarctatoque quam quibus utuntur Romani.

Pileum portat *Armenia* in formam cuculli, arcumque & tela.

Parthorum Regnum fœminæ inſtar eſt repræſentatum, ex more inibi recepto veſtitæ, cumque arcu & pharetra, ob peculiarem Parthis jaculandi rationem, qua etiam cum in fuga eſſent, hoſtem noverant ferire.

Cappadocia coronam geſtat turritam, & ſignum equeſtre, quoniam ex ea regione equites potiſſimum ſolebant legere Romani. Additus eidem apparet interdum mons Argéus, ſive

ut

ut manu eundem teneat, ſive ad pedes habeat poſitum.

Meſopotamia fluvios inter duos, Tigridem & Euphratem eſt collocata, mitræque quidpiam ſimile geſtat in capite, ex ſententia Antonii Auguſtini. Verum, ſi in Trajani, quem allegat nummo, eſt *Armenia & Meſopotamia in poteſtatem* P. R. *redactæ*, vereor, ne per fluviorum unum, qui Meſopotamiam refert, ipſa provincia intelligi debeat.

Magnam Britanniam, quæ inſula eſt, ex clavo, cui innititur, & ex roſtro navis, quod ad pedes ipſius jacet, cognoſcere eſt.

Peculiaribus etiam ſingulæ Vrbes gaudent ſymbolis, a quibus tamen prolixe exponendis malo mihi temperare, cum ex Legendis, quænam ſint, appareat ſtatim. Ea tamen animalia, quæ frequentiora ſunt in nummis, hic allegabo.

Animalia. Corinthi ſymbolum eſt *Pegaſus* alatus, quem ſcilicet ibi dabat Minerva Bellerophonti cum Chimæra pugnam inituro.

Phœ-

Phœnix modo æternitatem ac modo ſpem meliorum temporum, ſignificat, quoniam ex ſuis eum cineribus renaſci creditum eſt quondam.

Pavo & *Aquila* denotant Principum, Deos inter relatorum, cõnſecrationem.

Capricornus ſive ſolus ille ſive cum ſocio, horoſcopum Auguſti indicat, ad cujus rationem promiſſum ipſi fuerat Imperium abs Theagene Apollonio, Aſtrologo celebri, ad quem ab Agrippa fuerat ductus. Verum hæc inveterata licet opinio ſit nummaticorum, eam aggreſſi ſunt tamen non ita abhinc diu doctiſſimi Viri, Auguſtum ſub Capricorni ſydere natum non eſſe, comprobantes.

Piſces, *Pelamydes* antiquis, ac nobis *Thunni* dicti, indicant Vrbes eas, prope quas dives earum captura erat, veluti Conſtantinopolim, aliasque.

Delphin incurvatus cum tridente, libertatem commerciorum juriſque maritimi denotat.

Canis maculis rubris infectus, atque *concha*, Tyri Vrbis eſt ſymbolum, cujus

jus incolis captando illi piſci,qui tingendæ purpuræ inſervit, anſam dedit canis Herculis, quippe qui,cum forte piſcem talem deglutiviſſet, os accepit rubro colore penitus tinctum. Concha vero frequentiſſima in nummis Tyriis occurrit, cum ex adverſo canis non niſi admodum raro inveniatur.

Epheſum Vrbem monſtrat *Cervus*, reliquasque idem Vrbes Dianæ ſacras.

Boves patientiam ac robur denotant, tum pacem quoque agricolis gratam, ſic & colonias porro, ducti a Sacerdote velato, ac ſacrificia demum ipſa, quippe in quibus boves offerebantur ut victimæ, cornua ligati funibus ex lana confectis, quos *vittas* dicebant aut *Infulas*.

Ægyptum indicant Nilumque *Crocodilus* & *Hippopotamus*.

Serpens autem index eſt Æſculapii, utplurimum vero Deæ Salutis ſive Hygææ.

Gallus gallinaceus Dei Luni eſt ſymbolum, quandoque etiam Mercurii.

Sphinx

Phinx & *Harpija* Gabalæ Vrbis in Cæloſyria, & illa quidem prudentiæ, hæc autem fortitudinis ſymbolum eſt.

Equus in nummis Punicis Carthaginis eſt ſymbolum.

Equi in paſcuo notant pacem ac libertatem, ſive etiam regionem paſcuis abundantem.

Elephas ſymbolum eſt æternitatis, & ideo quidem, quoniam longioris vitæ putatur eſſe; Rectius tamen affirmaverim, eum eſſe ludorum notam, aut Africæ interdum, utpote quæ ejus animalis ferax eſt.

Quædam vero animalia non ſatis cognita, quæ occurrunt ſubinde in paginis nummorum averſis, addita voce, *Munificentia Aug.* aut *Seculares Aug.* id ſolum innuunt, Principes iſtos, qui nummum talem fieri fecerunt, ex regionibus peregrinis ea accerſiviſſe, ut & gratiora ſimul redderent ſpectacula, & populum delectarent. Hæc adeo, quæ jam generatim diximus, ſi quis ſibi reddat familiaria, non eſt dubium, quin in notitia nummo-

rum plurimum ſit profecturus, usque dum & lectio crebra & uſus plura aperiat myſteria ſingularium averſarum, quæ ſolis alias in hac arte magiſtris reſervantur explicanda.

Praeceptio X.

De

Nummis adulterinis:
De modis, quibus ad verorum ſpeciem confiunt:
Ac de ratione denique, qua falſitas deprehenditur.

Nulla fere omnium, quas modo dedimus Præceptionum æque neceſſaria eſt tyronibus curioſis, ac ea, de qua nunc quidem agemus. Hac enim niſi cum accuratione perlecta, facile poſſunt illi decipi, præſertim quando impetu adhuc primo in nummos feruntur, ac divitiis etiã cum abundẽt, jacturã, quam faciunt, non usq; adeo magni æſtimant. Videmus ipſos quotidie in fraudes eorum incurrere, qui

qui mercaturam, ut ſic loquar, nummaticam exercent, idque ideo, quoniam artes iſtorum hominum nondum ſatis callent. Ipſis quoque fallendis multum porro conferunt crebræ antiquariorum circa nummos quosdam diſſenſiones, quippe quos alii perſuadentur eſſe antiquos, alii modernos, fuſos illi, hi contra typis percuſſos. Quale quid iis etiam accidere videmus, qui, tametſi pictoriæ artis ſint callentiſſimi, tamen interdum exemplum credunt eſſe (*une copie*) quod eſt archetypon, & archetypon, quod exemplum eſt; præſertim ex quo inter Nummarios reperti ſunt *Paduanus* quidam & *Parmeſanus* apud Italos, & in Batavis quidam *Carteron*, Scalptores in arte antiquorum Nummorum æmulatoria præ cæteris magiſtri, veluti forte inter pictores *Antonius de la Corne* Romæ, & Lutetiæ quidam *Cany* ea picturarum exempla perficiunt; quæ vel oculatiſſimos fallunt.

Quare ut fraudi tandem ponantur fines, morboque præſentia adſint re-

media, utque pateant omnia clarius, *Modos* primum omnes, quibus falſi veris nummis ſolent ſupponi, ac *Media* deinceps evitandæ fraudi peridonea, exponemus.

Nummi ficti. PRIMVS autem modus eſt rudis omnino & agreſtis, *cum nummi efformantur, quales nunquam extitere,* ut ii, in quibus Priamus, Æneas, Virgilius, Cicero, Sapientes Græciæ, & quidam alii Viri illuſtres, repræſentantur, quos Parmeſanus reliquique artifices effinxerunt, ut iis imponerent, qui ſingularium nummorum ſtudio tenentur. Ex eadem mala fide ac lucri non ſat honeſta cupidine inſolentes averſæ partes fuerunt ex cogitatæ, ut haberent, quibus fruſtra delectarentur curioſi; Qualis nummus eſt Julii Cæſaris, cum vocibus, *Veni, Vidi, Vici.* Alius Auguſti, cum: *Feſtina lente.* Quo quidem apopthegmate eum eſſe uſum dubio caret, verum illius memoriam in nummis fuiſſe conſervatam, merito ambigimus.

His

His autem, qui in Muſeis hoſpites non ſunt, facile eſt fraudem nummorum ejusmodi deprehendere; Siquidem in eis & fuſio ac metallum, quod firmitudine antiquis cedit, tum ipſa denique figurarum expreſſio, ultro novitatem prodit.

SECVNDVS eſt, *cum nummi novi formæ antiquæ funduntur,* *Nummi fuſi.* aut illi arenæ infuſi ita ſibi deinceps reſtituuntur, ut cuſi videantur. Verum in his & arenulæ campo nummi inſertæ, & cavèrnulæ, quæ hinc inde in utraque pagina ſe offerunt, oræ porro inæquales, ac neque politæ ſatis, tam literæ hebetes, ac lineamenta denique obtuſa, fraudis præbent argumentum. Ex pondere etiam dignoſcuntur, quippe quod imminui neceſſe eſt, cum metallum fuſum vi ignis rarefiat, & id, quod cuditur, condenſetur, majusque ideo accipiat pondus. Tandem in fuſis nummis reſtant ſemper fuſionis notæ, quæ lima deleri cum commode nequeant, perinde ac oræ, quas rotundari oportet, limaturæ ac proinde etiã falſitatis oſtendunt ſigna.

Cum vero indies augeſcat calliditas hominum & in efficienda evitandaque fraude, inventa ſunt cavernulis complanandis, quas fuſio non poteſt non poſt ſe relinquere, remedia. Adfricare ſcilicet aut allinere iis ſolent impoſtores æruginem, qua tegantur, ac oras incidunt leviter, ut videantur ſcabroſæ. Ingenioſiores nequam cenſendi ſunt, qui omiſſo æruginis uſu aream nummi cœlo complanant. Vt vero fraus palam fiat, æruginem, ſi adſit, oportet atteri, quæ deprehendetur adeo mollior antiqua. Si vero non adſit, inſpiciend⁹ eſt nummus paulo intentius, & depreſſior tunc adparebit nummi campus ac tenuior, ipſumque metallum nimis politum ac læve; cum ex adverſo antiquis rude quidpiam ac robuſtum inſit. Iis vero, hanc detegendæ fraudis rationem, ac ponderis, qua de modo loquuti ſumus, differentiam qui non habent perſpectam, miraculo videtur ſimile, ſuppoſititios nummos ſola attritione tactuve deprehendi poſſe.

Sed enim falſorum numero eximi debent quidam, quos, ut circumdari metallo cornuve aut ligno commodius poſſent, oportuit lima adæquari. Id enim non obſtat, quo minus & genuini ſint & antiqui. Vnde eſt etiam, quod periti nummorum vulgo dicere conſueverunt, ſcilicet oram ſubinde de campo nummi, & hunc de ea, ſi caſu quodam damnum fecerit, teſtimonium dare.

TERTIVS modus eſt, cum nummi antiqui fruſtati & obliterati, cœlo, addito etiam interdum ſigniuo, quod ærugine incruſtatur, reparantur, & perficiuntur, ſic ut & legi poſſint, & elegantes appareant. Novi quoſdam, qui peculiari arte callebant ope ſcalpri æruginem tollere, reſtituere literas, lævigare campum, & figuras revocare vix amplius conſpicuas. *Nummi reparati.*

Quando figuris pars quædam deeſt, agglutinari ſcite illa poteſt uſu maſticis aut cimenti, ſic ut figuræ prorſus integræ videantur. Vt autem etiam huic fallaciæ præſens adſit remedium, experiamur oportet ſcalpro ductus figuræ

guræ paſſim, & ſicubi deprehendemus non æquam ubique duritiem, mollities indicium facit partis combinatæ.

Verum oculus etiam inſpiciendis nummis exercitatus ex veſtigiis ſcalpri profundioribus, & oris nimium elatis, exque infelici cælaturæ ſucceſſu, conamina nequam artificis deprehendet ſtatim.

Nummi typis modernis reſtituti.

QVARTVS modus eſt, cum typi parantur ad nummos novos, veterum rariorum figura excudendos, qui deinceps pro genuinis venditantur, ac minori cum fraudis ſuſpicione, cum neque fuſi ac neque reparati etiam videantur.

In qua arte qui, Paduani, Parmenſis & Hollandi cognominibus, noti ſunt usque adeo excelluerunt, ut adulterini licet ipſorum nummi curioſiores tamen ſoleant oblectare. Iis, quos Paduanus finxit, plus ineſt firmitudinis, & quos Parmeſanus, plus elegantiæ. Typorum, quibus ille uſus eſt, plerique cum in manus P. Molineti incidiſſent, jam aſſervantur in Muſeo quod a S. Genofeva nomen habet.

Joh. Cauſinus. Laurentius Parmeſanus. Carteron Hollandus.

bet. Ea ipſis concedenda tamen laus eſt, quod proxime omnium ad rationem nummorum antiquorum figmentis ſuis accedant. Sed quamcunque etiam impenderint ei inſtituto operam, figurarum tamen antiqua ſeveritate deſtituta tenuitas, ac metallum ipſum, quod nec colorem nec pondus veteris refert, ac nimia quoque integritas, nummos iſtorum artificum ſuſpectos omnino reddit.

Nummi ad antiquorum inſtar cuſi.

QVINTVS modus eſt, cum nummi veteres detriti, malleo adæquati, novis typis refinguntur; quale quid etiam noſtræ monetæ accidit ſæpe.

Ea igitur fraus cum aptiſſima ſit licet ſeducendis tyronibus, tamen non diu poteſt latere. Opus eſt enim ſolum, ut & cælaturam elatam (*relief*) attendant illi, vel craſſitie vel novitate, vel tenuitate, vel elegantia nimia conſpicuam, & oras ad campi figurarumque rationem nimis antiquas.

Aberſa ſubſtituta.

SEXTVS modus eſt, cum in averſa pagina communi antiquæ figurationi nova rarior ſubſtituitur,

tuitur,ut pretio ejus inde fiat augmentum. Exemplo poſſet eſſe,ſi quis in averſa Philippi pagina Otacillæ,& in Veſpaſiani, Titi vultus collocaret. Sic me invito corruptus eſt a quopiam Helvii Pertinacis nummus ex ære maximi moduli, efficta Milonis Crotoniatæ bove onerati imagine in parte averſa. Idem fatum expertus eſt alius Domitiani nummus, cui Allocatio octo militum eſt impoſita; & metallio denique Decii, cum ementitia inſcriptione: *Deciana Cæſarum Decennalia feliciter.*

Adverſæ vel inſertæ vel combinatæ. Vlterius procedit fallendi libido. Vt enim ne quid videri queat reparatum, imago unius nummi adverſæ alterius parti maſticis beneficio agglutinatur, ut unicus deinceps evadat nummus nunquam antehac viſus; margines vero ejuſcemodi nummorum tanta adnornantur induſtria,ut non ſatis exercitati non poſſint non decipi.

Aliud quoddam huc ſpectans fraudis genus notatu dignum me vidiſſe commemini in Muſeo Domini

de

de Seves, qua multis curioſorum fuit impoſitum. Extat nimirum ibi Domitiani nummus ex ære majori integerrimus, cujus averſa pagina erat ſublata, in ejusque vicem inſerta celebris iſtius Amphiteatri imago, quæ ab alio Titi nummo perinde fuerat ſublata, idque adeo usque exacte ſub margine graniculata, (*par deſſous le grenetis*) ut tamdiu latuerit fraus, donec quispiam curioſus, impetrata venia, ſcalpro uſus, facili opera mutuatam iſtam imaginem iterum ſuſtolleret.

Suppoſititiæ iſtæ averſæ tum ex diſcrimine, quod lineamenta inter vultus antiqui, ac averſæ recentioris eſt, quæcunque etiam adhibita ſit induſtria, dignoſcuntur, aut etiam ex tentamento orarum, quippe quæ non ita arcte poſſunt combinari, ut non ſit alicubi vel levis etiam hiatus.

SEPTIMA fraus committitur in Legendis, utriusque quidem paginæ, ſed utplurimum tamen in ea, cui vultus ineſt, quoniam in reſtitutione rariorum capitum, quæ quandoque in ſerie nummaria *Legendæ alterata & ſuppoſita.*

deſi-

deſiderantur, ſpes lucri majoris verſatur. Fit autem, quando unum nomen pro altero, quocum literis præſentibus fere convenit, leviter modo interdum immutandis, ſubſtituitur. Eſt mihi Lucilia, hac ratione in Domitiam majoris æris transformata; & Gordianus junior in Gordianum Africanum mutatus, rara adpoſita barba, effictisque literis P.F. in A.F.R. Sed enim nummorum, qui ſic comparati ſunt, fidem vultuum ac literarum cumprimis inæqualitas reddit ſuſpectam.

Ærugo ſuppoſita. OCTAVO modo fallere ſolent illi, qui æruginem antiquam æmulantur arte, ne fuſi nummi queant detegi, utque diutius lateant orarum literarumque vitia. *Alii* nummos in terram defodiunt, ut ea ratione ſin minus ærugine incruſtetur, ſaltem aliquam ejus ſpeciem attrahat. *Alii* ſal armoniacum aceto temperatum, aut chartæ combuſtæ favillas, quarum uſus aptiſſimus eſt, uſurpant.

Verum neque huic fraudi deſunt remedio, ſiquidem æruginem novam colo-

coloris, fulgoris, lubricitatisque, quæ veteri ineſſe ſolet, defectus ſtatim prodit. Ac neque alias etiam ſatis diu relinqui ſolent terræ nummi, cum, ſi id fieret, contrahere omnino poſſent iſtam æruginem, quam pretioſiſſimo etiam metallo ſunt qui præferunt. Tandem quoque ærugo ementitia mollis eſt ipſo tactu, cum ex adverſo vetus illa ipſius metalli exæquet duritiem.

Nummi fiſſi.

NONUS modus eſt, quando falſarii etiam fiſſuras iſtas, quæ nummis antiquis obtigerunt interdum, & quas antiquarii pro certa eorum ingenuitatis indicio habent, ſtudioſe imitantur, vel dum cudunt nummos, vel quando jam ſunt illi cuſi.

Ne quis ergo decipiatur, opus eſt, ut ſub examen vocet iſtas fiſſuras, quæ ſicubi vel non profundæ ſatis deprehendantur, vel non ſpontaneæ, aut neque in inſenſili exitu denique deficientes, id argumentum certiſſimum eſt, illas non caſu proveniſſe, ſed artificis cura.

Superſunt adhuc *duo falſorum nummorum criteria*, quæ antequam finem Præceptioni huic imponamus, explicare animus eſt. *Vnum* quidem pervulgatum, cum ex duobus nummis unius ejusdemq; typi alteruter, niſi ambo tales fuerint, falſus judicatur.

Num omnes nummi diverſam habeant matricem.

Verum non diffiteor, hoc recepto cæteroquin apud Antiquarios propemodum omnes aſſerto non omne mihi eripi dubium, ſiquidem eo ſimul affirmatur, ſingulis nummis aliud eſſe prototypum, (*matrice*) typosque diverſos, id quod tamen nec vero eſt ſimile, nec tractatu ipſo comprobatur. Gaudeo ejusdem aſſerti veritatem, dubiis experimentorum exemplis nixam, nuper ſollicitare cæpiſſe *Baudelotum* eo opere, quod de utilitate itinerum ſcripſit, cui annexa eſt diſſertatio de Nummis. Elegantior etim illa eruditio, quam ubique & in quocunque ejus libri argumento, quod ſibi ſuſcipit pertractandum, præ ſe fert, juncta cultiſſimo atque acri ſtylo, iſtud opus, æque ac honeſta

Opus Baudeloti.

neſta & ſuavis conſuetudo Autorem ipſum, plurimum commendant.

Sed enim felicitate ingenii fiſus, quod in principio operis aſſeruerat, exemplo ſuo ipſe deſtruxit imprudens. Cum enim in utilitate longiorum itinerum commendanda Diſſertationem priorem impendiſſet, oſtendit ſimul, non ſatis advertēs, omne id, quod tantis ſumtibus quærunt alii in terris alio calentib9 ſub Sole, uſurpari oculis domi poſſe ab his, qui ne quidē ex muſeo pedem unum promovent; atque adeo peregrinationum tantam neceſſitatem non eſſe, homini cumprimis docto, quippe qui eo, quo Autor ipſe perfungitur, ſtudio talia diſcit, in quæ ſtupidiores animi nunquam alias penetrant, tametſi utrumque etiam orbem per totam vitam auſint pererrare.

Num omne aurum degener ſit modernum.

Alterum κριτήριον eſt *Patini*, p. 66. de Hiſtoria Numimorum cujus ſolius autoritas in Republica nummaria ſolet alioquin ingens ſententiis addere pondus. Is vero omnes Romanos

nummos degeneris auri confictos eſſe pronuntiat.

Verum ſi hoc vult Patinus, quod nummi Imperiales ex viliore auro confecti ſuſpicione falſationis non careant, me utique habet conſentientem, ſiquidem etiam in inferioris Imperii nummis rariſſimi ſunt inventu antiqui aurei & iidem alterati, tametſi nec id negandum ſit, poſt Alexandri Severi ætatem admiſtionem alius metalli fuiſſe conceſſam. Optaverim tamen, ut paulo diſtinctius hæc expoſuiſſet Patinus. Æque enim de Græcis ac Romanis, qui tamen e puriſſimo ſive ducatorum auro ſane conſtant, aſſertum iſtius videtur debere accipi. Me vidiſſe etiam ex Gothicis Punicisque commemini vere antiquos, ſed quorum aurum tamen plane non erat purum.

Eſt hoc præterea certum, etiam poſt Alexandri Severi tempora dari nummos degeneris auri genuina antiquitate omnino commendabiles; Sic ut hoc κριτήριον, pro univerſali licet hactenus venditatum, non ſit omni exceptione majus putandum.

PRÆ-

PRAECEPTIO XI.

Axiomata aliqua, quæ Nummorum veterum curioſi pro veris venditant, quæque rei nummariæ notitiam facilem reddunt, complectens.

VAriorum Gazophylaciorum diligens inſpectio idem docuit hactenus in Scientia nummaria, quod experientia in reliquis artibus. Tunc enim demum artes ad ſummum aſcendiſſe viſæ ſunt gradum, cum crebra tractatione docti Viri nova ſubinde aut nondum antehac recte cognita obſervarent. Vnde porro ex meditamentis curioſorum certæ ſunt enatæ regulæ, quas neque ad rationis ac neque ad paritatis etiam examen licet amplius vocare, ſed quas ex adverſo recipi oportet, iisdemque adhibere fidem, velut extra dubium omne jam poſitis. De ea vero fide loquor, quam Viri honeſtiores non facile denegant eruditis; & quam Theodore-

tus, Januam, qua omnes ſcientias humanas intramus, alicubi appellat, dum ſcilicet optimis artium magiſtris ita tandem concedendum eſt, ut eorum verba regularum obtineant vices.

Id vero non prætendimus, quaſi in Notitia Nummorũ paranda cæca fides a tyronibus perinde ac doctis requiratur. Suo enim cuivis integrum eſt uti judicio, idemque opponere ſententiis doctorum; ſiquidem de judice infallibili in controverſiis literariis nondum conventum eſt inter curioſos, & doctiſſimis ſæpe Viris ſolet accidere, ut unius nummi hactenus non viſi intuitu axiomata pro indubitatis habita deſtrui videant. Sic enim perſuaſio illa, qua ſeculo ſuperiori nullum *Othonem* ex ære ſupereſſe credebatur, prorſus hodie ceſſat, ex quo Gazæ nummis Othonis æneis ex Oriente allatis & omnino genuinis, abundare cæperunt.

Quare fruſtra non ſolum eſt ſed nec periculo caret, principia generalia in cognitione nummorum ſtatui, quippe quæ interdum etiam abs mediocriter doctis, queis caſus num-

nummos axiomati adverſos obtulit, poſſunt enervari.

Dum vero hoc loco de Axiomatis quibusdam conſtantibus loquor, nolo certitudinem infallibilem intelligi, ſed talem tantum, quæ autoritate doctorum nititur. Plura ejusmodi principia ſive axiomata inſeruimus antea traditis in hoc libello, quibus ea quæ ſeqvuntur adjunximus, cum inter illa commodum locum haud reperirent.

De Nummis generatim.

I. Nummi æſtimatio nec a materie, nec a quantitate, ſed unice a vultus aut paginæ averſæ, aut denique Legendi raritate dependet.

Sic enim contingit, nummum aureum eſſe vulgarem, non temere tamen ex ære reperiundum; rariorem hunc contra ex argento, qui vulgaris eſt ex auro vel ære factus. Averſam accidit dari ſæpe paginam, cujus caput eſt quaſi unicum; & ex adverſo, nummo, qui capite paſſim occurrente eſt ornatus, ex averſa pagina ingens ſæpe accedit pretium. Nolumus operam

in allegandis aſſerti hujus exemplis perdere, ſiquidem otium nobis fecit *Vaillantius* in opere, quod denuó edidit.

II. Nummi aliqui non niſi in certo genere certisve, quas vocant, ſequelis (*ſuites*) rari ſunt, in aliis haud item.

Quidam in quocunque genere infrequenter ſe offerunt; alii in his crebrius; alii tantum in quibusdam ſequelis occurrunt, plane vero in reliquis non reperiundi. Vtque exemplo res evidentior fiat, non datur *Antoniæ* nummus in ſerie æris maximi moduli, quare ut ſuppetias ex minori petamus oportet; cum ex adverſo *Agrippinam* Germanici conjugem ſolum in ære majori habeamus. In omnibus æris cujuscunque ſequelis rariſſimus eſt *Otho*, frequens inter argenteos nummos. In ſingulis vero ſequelis occurrit *Auguſtus*. Sed in aureorum ordine deficiunt *Orbiana*, *Paulina*, *Tranquillina*, *Mariniana* & *Cornelia Supera*; quarum omnium in argenteis & æneis copia eſt. In ære medio abundant Coloniæ, rariſſimæ

in

in majori. Idem hoc argumentum exſeqvutus eſt Vaillantius, etiam in nummis particularibus id, quod diximus, attendens.

III. Eadem fere eſt nummorum, quæ picturarum gemmarumque & his ſimilium ſolet eſſe ratio, quæ, ſi pretium definitum excedunt, tandem illud ex animo & facultatibus emtorum ſortiuntur. Nummi enim iſtius, qui X. aut XII. piſtolis redimi nequit, æſtimatio ex voluntate emtoris jam incipit dependere. Inde immenſum *Othoni* æris majoris acceſſit pretium; quin imo & eo eſt perventum, ut nummorum æris minoris ſive medii æqvum non putetur, quod XXX. aut XL. piſtolarum in ſingulos ſummam non excedat. Sic maximi porro æſtimari conſueverunt *Gordiani* Africani græci, tametſi eorum fabrica Ægyptum arguat, cum non niſi tales in medio ære ſuperſint.

IV. Nummi *μοναδικοὶ* ſunt inæſtimabiles, quales dicuntur, quos in Principum doctorumque primariorum Numiſmatothecis Antiquarii non-

dum deprehenderunt, tametſi in muſeis non æque claris, in quæ caſu fuerunt illati, poſſint latere. Sic *Othonem* ex genuino ære majori factum, qui unicus eſt, in Italia alicubi vidit Vaillantius. Talis eſt porro Metallio græcus argenteus *Peſcennium* referens, ab eodem Vaillantio in Anglia apud quendam nomine *Falcner* viſus, ſed Gazæ Regiæ jam inſertus. *Herodis Antipæ* nummum unicum, cum is in manus ſuas forte incidiſſet, erudita deinceps Diſſertatione illuſtravit *Rigordus*. Agrippæ Cæſaris, qui tertius Agrippæ & Juliæ filius ab Auguſto ſimul cum Tiberio adoptatus fuit, unicus nummus ornat jam Muſeum Marchionis de *Seignelay*, ac nullum adeo, præterquam quod ex arbitrio poſſeſſoris venit, habet pretium. Alius Græcus in Nummophylacio Regis latet.

V. Nihilo ſecius tamen nummos, quorum, cùm typo gaudeant inſolito, Antiquarii nullam unquam fecere mentionem, ſuſpectos habere cauteque tractare oportet, cum vero ſimile

non

non fiat, eos tamdiu Antiquariorum ſollertiam ſagacitatemque effugere potuiſſe. Quare ne decipiamur, quas tyronibus curioſis negotiatores tendere ſolent, inſidiis, ſub examen rigoroſum vocanda ſunt & metallum ac fabrica.

VI. Ratio inſtruendarum Numiſmatothecarum ex animo ac copia nummorum, qua quis privatus gaudet, dependet. Siquidem ſolis fere Principibus datum eſt, Muſea ſequelis omnibus abſoluta adornare. Suaſerim vero, ut in una earum tandem ſubſiſtamus, & caveamus cumprimis, ut nec metalla nec magnitudines nummorum invicem commiſceantur.

De Metallionibus:

I. Metalliones monetæ uſum minime præbuiſſe, ſummum illorum artificium & magnitudo arguunt.

De hoc nummorum genere accipienda ſunt verba Suetonii, qui Auguſtum refert tempore Saturnaliorum amicis ſuis inter alia donaſſe *nummos*

*omnis notæ, etiam veteres, Regios &
peregrinos.* Quare etiam iidem, cum in commerciis non ſint uſurpati, vulgares nummos integritate ſuâ plurimum antecellunt.

II. Invaluit opinio, Senatum, ad Hadrianum uſque, jus cudendi Metalliones habuiſſe, ob notam S. C. quæ in iis comparet; Hadrianum autem, ut monumentis his publicis venerationem adderet, ſibi ſoli illorum effictionem reſervaſſe.

Vt vero ſententia hæc firmo ſtare poſſit talo, quam quidam tamen aggreſſi ſunt, adductis in exemplum contrarium Metallionibus poſt Hadriani ævum cuſis, notatiſque S. C. qualis eſt M. *Aurelii* a Vaillantio p. 204. allegati, & plures *Decii* omnibus noti; oportet ut aſſeramus, iſtos metalliones non eſſe niſi nummos æris majoris grandiores paulo quam ſolent eſſe vulgares, & *Decium*, reddita Senatui Tribunitia, Cenſoria, Proconſulari, aliorumque officiorum, quæ ſibi ſolis vendicaverant Imperatores, poteſtate, eidem fortaſſis etiam reſti-

reſtituiſſe libertatem cudendorum, metallionum,qua fuerant ſub Hadriano privati. Verum enim ipſo hoc aſſerto ſupponitur, quaſi Imperatores reliquerint Senatui poteſtatem, omnem ex ære monetam cudendi,ſibi vero reſervaverint aureæ argenteæq; fabricam. Difficultas autẽ iſta plane,ut videtur, inſolubilis comprobat,fruſtra eſſe operam omnem, quæ ſtabiliendis axiomatis univerſalibus impenditur. Vt enim, quæ Præceptione V. dicta ſunt, hoc loco ne repetam,ſi omnino res ita ſe habet,ut vulgo credimus,Senatui conceſſam fuiſſe facultatem omnes æreos Nummos cudendi,iisque notam S. C. imprimendi, unde tandem fit,quod ea in nullis Nummis minoris moduli comparet? Nulla dari poterit ejus ratio ſufficiens,& quæ dubium omne valeat tollere. Et quid porro de titulo,quem Monetarii affectabant, *Auro, Argentô, Ære F. F.* quem neque Senatus unquam, ac neque ipſi etiam Imperatores auſi ſunt uſurpare, eſt ſtatuendum? Niſi quis poſſit clariſſimis Auctorum teſtimoniis affir-

 mare,

mare, quo tempore definita, & ex quibus cauſis iſte Monetariorum titulus cæperit abire in deſuetudinem.

III. Metallionum Veteris Romani Imperii indicia, craſſitudo, porrectio, cælatura, & capitum granditas habentur. Sic ut ſi unum iſtorum requiſitorum in nummo deeſſe appareat, ille inter factos ex ære majori ſit referendus. Hæc de ſuperiori Imperio accipi velim. In labente enim Imperio omnes Nummi, qui mediocres Æreos excedunt, Metallionibus accenſentur.

IV. Argentei Metalliones, quos Itali procuderunt, raro drachmas quatuor pondere ſuo excedunt. Græcis frequens fuit, Metalliones hujus generis Civitatum, Regum & Imperatorum dedicare memoriæ. Vaillantius in opere aliquoties jam citato nummum Hadriani ejus ponderis adducit. Ipſi nos Veſpaſianos Epocha Ετους Νεου Ιεϱου notatos poſſidemus. Patinus Metalliones *Conſtantii* & *Conſtantis* orbe majori præ aliis gaudentes, ſed minori craſſitie, allegat;

gat; Et in Gaza Regia extat *Verus* argenteus ſane elegantiſſimus.

V. Coloniarum Metalliones nullos, æreos autem majoris moduli Nummos usque ad Septimium Severum perpaucos poſſidemus. Sed eorum vicem qui obeant in ſequelis, ſuperſunt plurimi, ex medio & minori ære facti.

De Nummis Coloniarum.

I. Omnes Nummi Coloniarum rari ſunt, intuitu nummorum communium; atque pretium illis accedit, vel ex typo, quando is hiſtoriam illuſtrat, vel ex regione, quando quædam referuntur Vrbes non ſatis cognitæ, unde antiquæ Geographiæ accenditur novum lumen; vel denique, quando officia Magiſtratusque eorum exhibentur ſingulares, qui eos numos fieri curaverunt.

II. Cum averſa pagina bovem unum aut boves duos, cum Sacerdote aratrum agente, aut Signa militaria tantum exhibet, Numum in communium cenſum referimus. Ex iisdem tamen

tamen diſcimus ſimul, a quibus Colonia fuerit ducta. Quod ſi enim ſolum adſit aratrum, id indicium facit, *populum* fuiſſe in alios regiones miſſum; Si ſola adſint militaria ſigna, denotatur, Coloniæ originem deberi *Veteranis*. Vtrumque vero ſimul poſitum indigitat, & milites *una* & cives fuiſſe profectos. Etiam ſignorum diverſitas militum profectorum diſtinctionem, num fuerint ſcilicet illi equites an vero pedites, prodit jucunde, quin nomen etiam Legionis, in qua illi antea meruerant. Exemplorum ſuppeditat copiam *Vaillantius* in Libro quo Colonias expoſuit.

III. Coloniæ illorum, qui eas fundaverunt, aut a quibus robur ac reparationem acceperunt, gerunt nomina. Omnes ſiquidem a Julio Cæſares fundatæ *Juliæ* appellantur, ut *Julia Colonia Berytus;* quemadmodum ab Auguſto fundatæ, *Auguſtæ*, ut *Municipium Auguſta Bilbilis*. Cum vero utrumque & Juliæ & Auguſtæ nomen junctum deprehenditur, tunc indicium fit, eas Colonias cæptas eſſe quidem a

Julio,

Julio, ſed ab Auguſto reſtitutas novis ſuppetiis, ut *Colonia Julia Auguſta Dertoſa*. Quod ſi vero *Auguſtæ* nomen præponitur *Juliæ*, tunc edocemur, coloniam ſeneſcentem ab Auguſto eſſe reparatam. Hoc vero tum demum ita debet accipi, quando hæc duo nomina ſtatim invicem ſe ſubſeqvuntur. Siquidem ſi quid aliud intercedat, ceſſat iſta explicatio. Callidæ artis ſpecimen huc ſpectans evolvi meretur apud Vaillantium, quo loco verba: *Colonia Julia Concordia Auguſta Apamæa* exponit Tomo II. p. 24. Ex eodem porro diſcimus, quod Coloniæ tempore Conſulum miſſæ & ante adeo, quam ſumma rerum poteſtas penes Imperatores eſſet, vocatæ fuerint Romanæ, teſte urbe *Sinope* ad Pontum in Aſia ſita, cujus extat in honorem Gordiani junioris factus nummus, additis literis C. R. I. F. S. *Colonia Romana Julia Felix Sinope*. Anno CCCVIII. Epocha tempus illud indicat, quo Lucullus victo exutoque regnis Mithridate, libertatem Vrbi iſti dederat, redacta ea in Coloniam; a Ju-

a Julio Cæſare ſeqvutis temporibus plurimúm aucta.

IV. Etſi erant in Italia quoque Coloniæ, nulla tamen earum Caput Principis in Numis expreſſit. De numo Beneventano ad aures quidem meas eſt aliquando perlatum, non licuit tamen hactenus oculis illum uſurpare. Ac videtur præterea, honorem iſtum reſervatum fuiſſe civitatibus his, quibus poteſtas cudendæ monetæ data, quam nulli unquam Italicarum Vrbium voluerunt concedere Imperatores. Ea vero poteſtas fiebat vel a Senatu ſolo, vel ab hoc ſimul & populo, aut ab Imperatore. Ab hoc obtenta cum eſſet, inſcribebantur nummis hæc duo verba: *Permiſſu Cæſaris*. Qua ratione Sevilia & Corduba Hiſpaniæ Vrbes gratiam hanc ſibi ab Auguſto factam in nummis expreſſerunt his uſæ vocibus: *Colonia Romulea permiſſu divi Auguſti. Colonia Patricia Permiſſu Auguſti.* Quod & ab aliis eſſe factum ſæpe legimus. Cum vero poteſtatem eam ſolus dediſſet Senatus, addi ſolebat,

etiam

etiam in græcis nummis, S. C. cum vero Populus Romanus, Δ. E. Quæ ſententia Vaillantii eſt, qui & hoc affirmat, literas S. R. in numis quibusdam Antiochiæ Piſidicæ reperiundas idem ſignificare ac S. C. Siquidem *Senatus Reſcripto* idem valeat ac *Sen. Romanus*. Optaverim tamen, ut plura ejus aſſertionis ſupereſſent exempla. Neque enim argumenta, quibus P. *Harduinus* in Antirrhetico ſuo hanc ſententiam oppugnavit, omni pondere deſtituuntur. Verum neque tamen ſingularium iſtorum deſunt omnino exempla. Vrbs Antiochia hæc, de qua modo diximus, ſola omnium hujus nominis, quo ſedecim aliæ quondam fuerunt gaviſæ, Legendum Numis ſuis latinum inſcripſit: *Colonia Cæſarea Antiochenſis*.

V. Græci Numis ſæpe mutuum fœdus Vrbium aliquot, voce ΟΜΟΝΟΙΑ commemorant; quod Sardes & Epheſum videmus feciſſe, Smyrnam item & Pergamon, Pergam denique & Siden, Pamphiliæ oppida, præter has vero nullas alias, quantum

qui-

quidem ex nummis hactenus inſpectis conſtat.

VI. Romanarum & Latinarum, Coloniarum diſcrimen, easq; etiam, quæ civitate Romana, & quæ Jure tantum Latinatis, quo tota gaudebat Italia, donabantur, in lucem nummi profe- runt. Jus Civitatis in eo cumprimis conſiſtebat, quod ambire Magiſtratus, & eosdem exercere civium inſtar Romanorum poterant. Jus Latinitatis vero immunitatis ab oneribus publicis afferebat privilegium, & licentiam inter Legiones Romanas merendi. Iſtæ Vrbes, quæ *Remi* & *Romuli* lupæ mammas ſugentiam imagines numis ſuis inſculpſerunt, conſtanter uſæ ſunt jure civitatis Romanæ, inde etiam Coloniæ Romanæ appellatæ, quo typo vix auſuras crediderim fuiſſe alias Vrbes, quibus tantum Jus Latinitatis conceſſum. Harduino debemus eam obſervationem, qui aſſerit porro has uſurpaſſe ſcrofæ cum XXX. porcellis, de quibus loqvutus eſt Virgilius, imaginem. Num vero etiam exempla ejus in numis dentur, non ſatis fateor me noviſſe. VII.

VII. Poſt Caligulam nulli amplius Nummi Coloniarum Hiſpanicarum conſpiciendos ſe præbent, quorum tamen magna copia ſub Auguſto & Tiberio ſe offert. Sunt qui affirmant, Caligulam eo privilegio ipſas privaſſe, indignatione commotum, quod in Avi ſui honorem tales cudiſſent, cum nollet ejus haberi Nepos, dicente Suetonio.

VIII. Poſt Gallienum vix ulli Nummi Imperatorii dantur, ab Vrbibus Græcis, aut Coloniis procuſi; ſive quod, ſublapſis Imperii rebus, cum Coloniæ Domino ſe viderent deſtitutas, monetæ fabricam ſusque deque habebant, ſive quod Gallienus ipſe aut Claudius Gothicus aut Aurelianus denique ipſas jure hoc exuit. Verum ſaltem eſt, poſt Gallieni ævum nullum prorſus talem reperiri.

IX. Non Vrbes tantum, ſed & Provinciæ integræ honori Imperatorum nummos ſuos dicare ſolebant. Quod ex Nummis Syriæ in Trajani, & Daciæ in Philippi honorem cuſis apparet, quippe cui hæc libertatem ſuam refe-

rebat acceptam, additis vocibus: *Provincia Dacia* Anno I. A. II. & ſigno cum literis D.F. i. e. *Dacia Felix.*

De Nummis quibusdam Particularibus ſive Præcipuis.

I. Nemo ſibi perſuadeat, Nummos haud alios, quam ad rariorum aut cariorum ſimilitudinem effictos, ſupponi, quales ſunt forte, quos Paduanus forma quadrata commentus eſt. Dantur enim vulgares quidem aliqui, ſed iidem tamen nihilominus falſi, præſertim qui ſunt fuſi.

II. Sola Metalli qualitas aut quantitas nummi interdum ſufficiunt ad faciendum de ingenuitate judicium. Sic omnes *Gordiani Africani* ex auro facti, itemque *Peſcenii* aut *Maximi* nummi, non magni fiunt, cum conſtet, non dari vere antiquos hujus metalli, quales videlicet *Carteron*, de quo alias diximus, effinxit. Rejicere pariter *Plotinam* ex medio ære, ut & *Marcianam*, *Matidiam*, & *Didiam Charam* ſolemus, cum, ejus magnitudinis genuinos

nuinos non dari, tralatitium ſit Medii autem æris nummi pari cum communibus ambulant paſſu; Sed ex majori ære qui ſunt facti, raris omnino debent accenſeri.

III. Idem Numus in una regione creberrime, in alia inſolēter ſe offert. Tales ſunt *Poſthumorum* nummi, quorum quo major apud Gallos eo minor apud Italos eſt copia. Huc referendi ſunt *Ælii* majoris æris, cum quibus perinde eſt comparatum. Hæc prodeſt interdum ut quis ſciat, ad permutanda invicem mutuo cum fructu numiſmata, quorum copia cum nos laboremus, alii contra deſtituuntur.

IV. Primo demum Julio Cæſari conceſſum, ut vultu ſuo Numos ſignaret, qui tamen in æreis maximi moduli non reperitur. Iii vero, in quibus ejus vultus Auguſto eſt junctus, poſt ipſius denique mortem fuere facti. Vnde affirmari poteſt, omnes iſtius magnitudinis eſſe ſuppoſititios.

V. Solus Agrippa, permiſſu Senatus, ac ideo literis S. C. notatos Numos, cum nec Auguſtus nec Cæſar eſ-

ſet,percuſſit. Poſt enim ipſius mortem nummus Druſi Neronis (qui filius Tiberii fuit) juſſu Claudii eſt cuſus,atque a Tito deinceps reſtitutus.

VI. Cavendum,ne cui Nummi medii æris, in Othones transformati,imponant,nec etiam pro falſis illico habeantur, in quibus galericulum,quod in argenteis aureisque eleganter expreſſum eſt, non dignoſcitur. Tametſi enim illud non extet in Numis extra Italiam factis, nihilominus genuini tales ſunt putandi. Et quamcunque etiam Paduanus adhibuerit in imitandis iis induſtriam, perinde tamen ſunt ejus nummi ſuſpecti.

VII. Vaillantius contendit, *Lucillam* Ælii Conjugem nec Numos nobis dediſſe, nec Auguſtam eſſe vocatam. Contrariam vero ſententiam defendunt & *Angeloni* & quidam alii, cui ſuffulciendæ affirmant, Lucillam *Veri* Conjugem matrem nunquam fuiſſe factam, cum ex adverſo in nummis Lucillæ *Ælii* uxoris tres liberi extent, iidemque de *Fœcunditate Aug.* inſcriptione peculiari teſtentur. Præterea

ea videtur poſterior hæc Lucilla, ut eò clarius a priori diſtingui poſſet, cognomentum *Lucilla Antonini Aug. F.* affectaſſe, quod ſane non licet in iſtis numis conſpicere, in quibus infantes apparent. Componendæ igitur huic liti faceret probus auctor, qui affirmaret, vel Lucillam Ælii nunquam *Auguſtæ* nomine eſſe uſam, vel Veri Conjugem tres enixam infantes. Siquidem argumentum negativum hac in controverſia nullius eſt valoris. Mihi quidem *Angeloni* opinio hactenus vero viſa eſt ſimilior, unde recte quoque fecit, qui eam amplexus eſt Mezzabarba.

IIX. Ad Numos diverſorum *Antoninorum*, præcipue Caracallæ & Heliogabali, quorum uterque *M. Aur. Antoninus* vocatur, diſcernendos, judicio opus eſt. Equidem qui diu in nummis verſati ſunt, ex vultus habitus utrumque, & Elagabalum quidem ex craſſioribus labiis, & Caracallam ex triſtiſſima facie ſtatim agnoſcunt. Verum oportet tamen, ut tyrones attendant ſolum *ſtellam* capiti Elagabali

ſuperimpoſitam, & titulum *Germanicus*, qui ſoli Caracallæ eſt additus. In Græcis vero Numis durior doctis injicitur ſcrupulus, ſiquidem utrique iſtorum Imperatorum ſolum hoc adjectum conſpicitur Legendūm: M. AVR. ANTΩNEINOC.

IX. Repertus modus eſt transfigurandi Gordiani III. in Gordiani Africani numos, ex PIVS faciendo AFR. & mento barbam affingendo. Vt adeo inde affirmaverint quidam, tertium dari Africanum, filium ſcilicet aut nepotem Patris Avique ejusdem nominis. Verum ut & hanc evitemus fraudē, attendendæ ſunt modo averſæ paginæ, in quibus *AVG.* Tales enim non conveniunt Africanis duobus, quippe quos duo GG denotant hac ſcilicet ratione: *Æternitas Aug. Æquitas Aug. Adlocutio, Securitas Augg.* ex quibus Legendis GG geminatum certiſſimum facit indicium, nummum eſſe Gordiani Africani utriusque.

X. Dubio nunc caret, *Etruſcillam* fuiſſe Trajani Decii, minime vero Voluſiani Conjugem, quod falſo creditum

tum eſt hactenus, usque dum tandem *Seguinus* ex nummis errorem hunc refutavit.

XI. *Valerianorum*, (quorum unus Gallieni & Saloninæ filius fuit, dictus *Cornelius Saloninus*, alter e Valeriano & Mariniana genitus, ac Gallieni avunculus erat, Licinusque vocabatur,) Numos a ſe invicem ſolicite ſegregare convenit. Quod ſi ſolum *Valerianus* nomen adparet, tunc ut pendeamus animis neceſſe eſt. Sed quando adeſt aut *Cor.* aut *Sal.* aut *Divus*, aut conſecrationis repræſentatio, tunc certum utique eſt, Filium Saloninæ indigitari, ſiquidem Marinianæ filius inter Deos relatus nullibi legitur; Ex adverſo ſi *Lic.* conſpicitur, filium Valeriani.

XII. *Æmiliani* ærei maximi moduli cum care emantur, repertus modus eſt, quo Philipporum in Æmilianos, ob convenientiam vultuum, fit metamorphoſis, ut ita pretio XL. aut L. francorum ſubinde væniant.

XIII. Non continuo, tanquam falſi contemnendi ſunt, Nummi, in qui-

bus averſa pagina ad prorſam haud ſatis quadrat, ſiquidem id ſæpe in inferiori Imperio accidere videmus; Ea vero intelligo tempora, quibus Gallus ac Voluſienus, atque Gallieni ævo XXX Tyranni diviſo inter ſe Imperio rebus præfuerunt. Tunc enim tantum abfuit, ut novi fabricarentur typi, ut potius, quamprimum de novo rerum Domino eſſet compertum, caput recens imprimeretur antiquæ averſæ. Procul dubio inde accidit, ut in averſa Æmiliani pagina hæc legantur verba: *Concordia Augg. Æternitas Augg.* quæ Hoſtilianum æque ac Gallum & Voluſianum reſpiciunt.

PRAECEPTIO XII.

De

Ratione, quam is tenere debet, qui animum ad ſtudium rei nummariæ transfert, & Numiſmatothecam inſtituit adornare.

Ne

NE forte operis hujus prolixitate tyrones curioſi deterreantur, qui Nummos magis ideo tractare ſolent, ut animum oblectent, oportet me tandem vela contrahere, atque hac ultima Præceptione ea, quæ dicenda reſtant, explicare, tametſi tribus aut quatuor adhuc Præceptionibus novis malim quædam etiam de Numis rarioribus, deque libris porro, ex quibus haurienda doctrina cum interpretatione nummorum, tum & de mediis legendarum absque hæſitatione Inſcriptionum, quæ literis utplurimum vocum initialibus conſpiciuntur præpoſitæ, diſſerere. Verum, cum de his omnibus non liceat, paucis tamen oportet ut de ratione demum agamus, quam is tenere debet, qui ad ſtudium rei nummariæ animum adplicat.

Ea quæ curioſum ſcire decet. Hiſtoria.

Adeoque primum neceſſe eſt, ne quis ſit in Græca Romanaque Hiſtoria plane hoſpes, ſed ut ex ipſo fonte, non vero ex compendiis, eam hauſerit, quippe quæ neminem inſtruunt ſatis, dum, ut

quis recte intelligere valeat nummos, ea interdum etiam, quæ nullius videntur eſſe momenti, calleat oportet. Igitur quo quis plus minusve ſibi in utraque hiſtoria acquiſiverit eruditionis, eo majorem etiam minoremve ex nummis & voluptatem capiet & fructum. Quanquam diffitendum non ſit, nummorum diligentem inſpectionem, licet ſtudium antiquariæ rei exactum non præceſſerit, idem hiſtoriæ præſtare auxilium, quod ſolet lectio vitæ rerumque a Principe geſtarum, quem antea jam habuimus cognitum.

Geographia. Porro requiritur ſtudium Geographiæ utriusque peculiare. quo qui caret, non ſatis recte, ac neque cum oblectatione inde alias profluente intueri poteſt nummos Coloniarum Vrbiumque elegantiſſimos, quorum quaſi omnes typi doctrinæ aliquam ſecum ferunt partem.

Chronologia. Amplius temporum rationem ſeu Chronologiam oportet habere penitus fere perſpectam, non ex Epochis ſolum generalibus & communi-

munibus, ſed ſi fieri poteſt, peculiaribus Gentium Vrbiumque, quarum adeo veritas deinceps ex nummis poterit demonſtrari.

Tum & neceſſaria cumprimis eſt Mythologia, ſive, quam alii vocant, Theologia Gentilis, qua ſine non datur averſas nummorum partes intelligere. Hac primum ut erudiatur tyro eſt opus, ne, ſi ſymbola, figurarum quæ ſunt interpretes, neſciat, ubivis hærere cogatur. *Mythologia.*

Quare iis, qui in hoc ſtudiorum genere, nummariæque ſcientiæ elementis nondum ullos fecere progreſſus, auctor ſum, ut ante omnia tabulas Chronologicas Petavii, utpote facillimas intellectu, ac ſimul libellum P. *Briet*, quo ſingulari ac jucunda methodo uſus antiquam & recentiorem Geographiam invicem contulit, ſibi reddant familiares. Hæc enim ſunt quaſi quædam ipſius Hiſtoriæ limina; cui rectius porro addiſcendæ, quatenus numiſmatum cognitioni inſervit, ſuaſerim legi cumprimis relegique Herodo- *Libri ad ſtudium nummariæ rei neceſſarii.*

rodotum, Dionem, Dionyſium Halicarnaſſæum, Polybium, T. Livium, Tacitum, Vellejum Paterculum, alioſque.

His jungi oportet eos, qui de Antiquitatibus Græcis Latiniſque ex profeſſo commentati ſunt, Suidam videlicet, Pauſaniam, Roſinum, Philoſtratum, Rhodiginum, Gyraldum, alioſque, ex quibus petendum lumen illuſtrandæ typorum ſymbolorumque varietati.

Si cui vero nec animus ſit ſatis patiens, ac nec tempus forte etiam, aliis negotiis deſtinatum, huic legendus eſt incomparabilis Liber Illuſtris Spanhemii *de Præſtantia & uſu Numiſmatum*; Ex hoc enim dignitatem hujus ſtudii propius cognoſcet ille, & ea ſimul addiſcet, quæ honorem ipſi & laudem apud alios poterunt deinceps conciliare. Quod ſi vero neque hanc ſibi dare quis velit operam, linguæ utriusque non intelligens ſatis, ex iſtis tamen Præceptionibus quas hoc libello jam ſum complexus, multa poterit haurire, ſumtu non magno, quibus ido-

idoneus nummorum ſtudio tractationique reddatur. Tum, ſi id fecerit, ſuaſerim porro, ut libros iſtiusmodi, in quibus delineati nummi ſimul exponuntur, inſpiciat, unde facilem eorum, & absque ulla temporis jactura licebit parare cognitionem. Ex his vero, qui præ cæteris neceſſarii videntur, jam nuncupabo quosdam.

Golzius ad Vrbes Græcas.

Cognoſcendis Græcarum Vrbium nummis *Golzii* opera, quæ Siciliam, Græciam magnam, & Inſulas inſcripſit, plurimum facient.

F. Vrſinus ad Conſulares.

Familias Romanas expoſuit *Fulvius Vrſinus* opere eleganti, quod *Carolus Patinus* deinceps auxit, reliqua omnia longiſſime poſt ſe relinquens.

Occo & Mezzabarba ad Imperiales.

Occo Imperatorios nummos explicuit, cujus editio poſtrema comendari meretur. *Mezzabarbæ* enim Opus eſt imperfectum, ſiquidem Græcos numos ſecundo Tomo reſervavit, quem veroſimile non ſit, unquam proditurum eſſe in lucem. Occo igitur non docet

cet ſolum, quænam iſtorum nummorum ratio ſit, ſed & quomodo diſponi debeant ſequelæ ad ordinem temporum.

Patinus. Tametſi autem *Patinus* in grandi iſthoc, quo Imperatorios complexus eſt, opere medii ſolum æris nummos expoſuerit, tamen inſunt eidem plurima, quæ, quia typorum invicem paritas & convenientia eſt, reliqui moduli metallique nummis intelligendis conducunt.

Hoc autem ſicubi deſit, conſuli omnino in ejus vicẽ debet *Muſeum Ducis Arſchotani*, quod Commentario a

Gevartius. ſe illuſtratum edidit *Gevartius*, & quod nummos utplurimum occurrentes fere ad unum omnes continet. Neque inconveniens foret jungere

Oiſelius. huic *Oiſelium*, cujus explicationes ſunt meliores. Cum vero iſti omnes nummos tantum æreos explicuerint, evolvendi ſunt porro, qui aureis argenteisque eandem operam

Hemelarius. præſtitere, *Hemelarius*, Canonicus Antverpienſis, & *Patinus* in Theſauro ſuo, quo argenteis metal-

metalliones quoſdam, maximique moduli alios aſſociavit. Sed enim *Vaillantius* iſthoc opere, quod denuo eſt editurus, plurimos argenteos aureosque nummos exponet.

Du Cangius in egregio de Familiis Byzantinis libro omnes inferioris Imperii nummos accurate delineari fecit expoſuitque deinceps peculiari Diſſertatione, quam videre eſt annexam Gloſſario mediæ Latinitatis ab ipſo edito. *Du Cangius.*

Rariores prolixe recenſuit *Triſtanus de S. Amand* tribus Voluminibus, ex quibus apparet ſtudium, quod Vir doctiſſimus operi huic attulit, nullo, qui præiret, duce uſus. *Triſtanus.*

Quæ de Coloniis dici potuerunt, omnia ſimul collegit *Vaillantius*, cujus librum ſi quis accurate legat, non multum deſideret interpretationem typorum fere omnium. *Vaillantius.*

Verum tunc denique Scientia rei nummariæ numeris omnibus videbitur abſoluta, nec reliqvum quicquam erit inſtruendis in ea tyronibus doctisq; etiã alias neceſſarium, quamprimum

mum imcomparabile illud opus, quod
Morellius. *Andreas Morellius* molitur, & cujus ipſe edidit Specimen, hanc aſpexerit lucem. Siquidem in eo, ex genio, quo admirabili gaudet in delineandis nummis, pollicitus eſt omnes omnino ac ſingulos a ſe quidem *viſos* nummos exponere, adeoque cuncta ea ſimul complecti, quæ a viro in his ſtudiis ſubactiſſimo unquam poſſunt expectari.

Hoc autem palmarium opus dum adhuc votis ardentiſſimis ſperamus, oportet, ut, quoniam plurima nummorum pars absque Geographiæ veteris intelligentia nequeunt explicari,
Harduinus. Liber *Harduini* cum cura legatur, quem inſcripſit; *Nummi antiqui populorum & Vrbium illuſtrati*, eidemque jungatur ipſius *Antirrheticum*, in quo multa continentur ſane peregregia; idque vel hoc magis, quoniam ante ipſum Græcos nummos omnes nemo fuit aggreſſus, quippe quos etiam nec Mezzabarba attingere auſus, ſiquidem & Vaillantius ſolos Latinos explicavit.

Cum

Cum vero non pauca obvenire ſoleant, quæ moras injiciunt tyroni, ſi generali adhuc is careat nummorum cognitione, ideo ſuaſerim, ut *Antonii Auguſtini Dialogorum* lectione animum prius imbuat, aut ſuppetias porro petat ex *Theſauro Golzii*, qui elementa hujus ſcientiæ ad certa reduxit capita, in eodẽ etiam notas cæteris frequentiores, ſine quarum notitia fruſtra ſperandus eſt in Legendis nummorum ſucceſſus, tum & nomina porro ac prænomina Imperatorum, quæ ſolis literis initialibus exprimi conſueverunt, qua ratione etiam cum nominibus Magiſtratuum titulisque aliis eſt comparatum, expoſuit. His via ſternitur, quam planam deinceps facit ingens *Sertorii Vrſati* liber, quem *de Notis Romanorum* conſcripſit.

Antonius Auguſtinus.

Golzii Theſaurus.

Vrſatus.

Oportet etiam ut cognoſcamus nummos rariores, ne forte elabantur caſu oblati, ac ut eorum ne nos lateat pretium. De iis egre-

Nummi rariores.

gium opus concinnavit *Vaillantius*, eosdemque, qui ſingulari capite gaudent, annotavit *Baudelotus* Tomo II.

Æſtimatio nummorum. Æſtimatio nummorum, quod jam ſupra eſt etiam a nobis dictum, a ſolo venditoris emtorisque arbitrio dependet. Cum enim in nobilem hanc ſcientiam non niſi generoſiores animi ferantur, ideo emtor nummi alicujus rarioris nitidique & integri, ac præterea etiam in ſequelæ unius ſupplementum neceſſarii, pretii, tametſi & illud excedat fortasſis modum, nullam habet rationem. Idem eſt ex adverſo in venditoris poſitum voluntate, qui deſiderium curioſi Viri ſuo nonnunquam præfert commodo, voluptatem ex ſtudio illius explendi majorem, quam ex ſpe lucri certioris, capiens.

Elogium modernorum. Equidem vereor, ne litem mihi intendant ii, quos modernorum nummorum tenet cupido, ideo, quod de his in Præceptione prima non niſi pauca diſſeruerim. Verum, ut fatear quod res eſt, etiamſi illorum ſtudio non nimis capiar,

quod

quod vel ex antea dictis obſcurum eſſe non poteſt, tamen cum de antiquorum dignitate multa hactenus dixerim, ſuum quoque recentioribus non denegabo honorem, ſi quem merebuntur vel ex elegantia typi, aut eventorum raritate, vel ex cælatura inſigni, vel ſymbolis (*deviſes*) exquiſitis, quæ & ipſa cæpta ſunt demum nummis inſcribi, ac ſive adeo illa ſerium quidpiam repræſentent, ſive acute dictum, cujus non niſi unicum ex antiquis exemplum in *Gallieni* quodam nummo deprehendi, hoc præferente Legendum: *Gallienæ Auguſtæ, Pax ubique*; cum tamen negligentia ipſius imperium a triginta Tyrannis eſſet devaſtatum.

Nummus aureus in Gaza Reg. Gall.

Ordo ſequelarum modernarum arbitrarius eſt; Poſt enim nummos Pontificum, Imperatorum, reliquorumq; Germaniæ Principum, Regum porro Galliæ, (de quibus etiam antea ſumus loqvuti) ac aliorum Regni hujus Virorum illuſtrium, collocantur nummi Regum Hiſpaniæ, Portugalliæ & Belgii Regii.

Ordo ſeu Series modernorum.

Hos ſeqvuntur nummi Regum Septentrionalium, Angliæ videlicet, Sueciæ, Daniæ, Poloniæque, quorum plerique hoc demum noſtro ſeculo fuerunt cuſi. Sextum locum obtinent nummi Italiæ. Antiquioribus vero accenſendi ſunt nummi Siciliæ, Mediolani, Florentiæque, qui fuſi ſolum dantur, Renati item & Alphonſi Regum Siciliæ, nec non Franciſci Sforzæ Mediolanenſium Ducis, & Coſmi Medicæi Magni. Præter hos dantur & Venetæ ac Genuenſis aliarumque Rerumpublicarum nummi.

Tandem Belgium Confœderatum peculiarem ex *ſeptem illis*, quibus Gaza conſtare ſolet, ſequelis ſibi vendicat. Plurimi quippe in eo prodierunt nummi memoriales, quos inter primus eſt omnium anno 1566. caſus, cui Hæreticorum Duces, excuſſo Hiſpanorum imperio, peram impoſuere, ideo quod ab Hiſpanis per ignominiam appellati eſſent *Gueux* ſive mendici, ut adeo memoria ejus nominis reſtitutæque libertatis diutius conſervaretur.

Cum

Cum vero exigua ſit eorum copia, qui de modernis nummis ſingulari ſtudio fuerunt commentati, id argumentum eſt, eorundem notitiam non æque eſſe difficilem, ac equidem eſt antiquorum, dum intelligendis iis mediocris ſaltem rerum geſtarum cognitio ſufficit. Juvabit tamen Luckium, Typotium, & Galliam nummariam, (ſed hanc non ſine circumſpectione, quod & ſupra monuimus, quoniam pleriq; nummi ad oblectamentum ſunt facti) quoad Hollandiam vero Abbatis Bizoti Hollandiam nummariam conſuluiſſe. *Libri qui de modernis agunt.*

His adeo Præceptionibus complexus mihi videor pleraque, ad intelligentiam nummorum brevi tempore efficiendam, ad deprehendendas porro negotiatorum fraudes, & ad rationem denique inſtruendi Numiſmatophylacii neceſſaria. Equidem id non negaverim, prolixiorem hanc eſſe Scientiam, quam ut tam anguſtis circumſcribi finibus queat. Verum quoniam non niſi ejus principia dare animus tulit, tyronum cumprimis conſulen-

dum fuit rei, quos videlicet ea, quæ breviter ac perſpicue traduntur, magis juvant. Neque auſim de ſucceſſu felici deſperare, cum nec memoria iis nimium oneretur, nec animus. Ac ſi forte ea non videantur tantam promereri laudem, quanta majoribus libris debetur, ſaltem lectu non omnino injucunda fore prorſus perſuadeor. Adeoque bene ominor Elementis hisce, quæ primus ego certo ordine ac neque ſine elegantia fortaſſis omni publicæ expoſui luci, in id ſimul cumprimis attendens, ne quid præcipuorum in nummariæ rei *ſcientia Virorum* aſſertis adverſum temere atque inconſideratius affirmaretur.

FINIS.

INDEX PRÆCEPTIONVM MATERIARVMQVE IN HOC LIBELLO PROPOSITARVM.

PRÆCEPTIO I. *De nummorum ætate ac de tempore, quod raritatem ſimul eorundem arguit & pretium auget.*

PRÆCEPTIO II. De variis metallis ex quibus conflati ſunt nummi.

PRÆCEPTIO III. De magnitudine diverſa, ad quam variæ adornantur nummorum ſeries in iisdem metallis.

PRÆCEPTIO IV. De capitibus variis quæ cernere licet in nummis ex quibus fieri poſſunt ſeries.

*PRÆCEPTIO V. de multiplici differentia partium averſarum (*des revers*) in nummis, quarum varietas nummos elegantiores reddit & pretioſiores.*

PRÆCEPTIO VI. De Inſcriptionibus nummorum quas appellant gallice Les legendes; quod vocabulum reddi poteſt Legenda, i. e. quæ legi debent.

PRÆCEPTIO VII. De variis linguis, quibus exprimuntur Inſcriptiones atque Legenda nummorum.

PRÆCEPTIO VIII. De conſervatione nummorum, ex qua pulchritudo ipſorum & pretia dependent.

PRÆCEPTIO IX. De cognitione ornamentorum Symbolorúmque, quibus notati ſunt nummi.

*PRÆCEPTIO X. De adulteratis nummis, & de varia imitandorum (*contrefaire*) eorundem ratione, ac de modo demum fraudes non difficulter detegendi.*

PRÆCEPTIO XI. Certa receptáque curioſos inter principia, & quæ facilem reddunt nummariæ rei ſcientiam, exponit.

PRÆCEPTIO XII. De ratione quam inire debet is, qui ad ſtudium nummariæ rei ſe transfert & Numiſmatothecam adornare inſtituit.

INDEX

INDEX PERSONARVM ET RERVM.

A.

A. A. F. F. F. p. 34. 249
A. B. Γ. Δ. 99
Abaculi 8. 19
Abundantia 212
Acacia 195. 196
Acclamatio 72. 73
Achaja 219
Ægypti, Reges ex nummis 37. 224. 219
Æmilianorum nummi 263
Æquitas 215
Ærugo 171. 236
Vide & *Vernis.*
Æs diverſum in nummis 25. ſ.
Corinthium 26
fulvum ib.
medium 25
Æſculapius 210. 224
Æternitas 216
Africa 218
Ακρωτήριον 205
Amazones 197
Amuleta nummaria 155
Angeloni 260. ſ.
Animalia in nummis 97. 222
Anni quatuor vices 216
Αντινόεια 185
Antoninorum nummi diſtinctu difficiles 261
Anubis 197
A & Ω. 194. ſ.
Apis 191
Apollo 189
Apotheoſis 188

Aquila in nummis 80. 223
Arabia 220
Argenti diverſitas 23. ſ.
Armenia 221
Aſia 218
Aſſis 102
Aſtarta 211
Auguſtinus. (Antonius) 83. 273
Auguſtus an ſub Capricorno natus 223
Auri diverſitas 21. ſ. 23
alteratio 229. ſ.

B.

Bacchus 189. 210
Baculus auguralis 204
Βασιλεύς 129. 165. 132
Baudelot (d'Airval) 192. 238. ſ. 274. ſ.
Beneficia in nummis 116. 117
Biæus (Jacobus) 17. 49
Billon. quid? 24
Birretum 190
Bizot 8. 9. 11. 18. 19. 167. ſ. 177. 277
le Blanc la France metallique 17. 277
Bochartus 160
Bolduc 42
Bos 224
de Brienne 60
Briet 267
Britannia Magna 222
B. S. L. C. 100
Bouteroüe de monetis Reg. G. 16

C.

Caduceum 200
Cæſar vox 67
Imperator 67. 68. 134. 135. 259
Cæſarion, quis? 41
Calanticæ 187

Came-

Camelaucium 183
du Cange 40. ſ. 49. 73. 75. 126. 140. 125. 165. 183. 271
Canis maculatus in nummis 223
Canopus 191. 210
Capita in nummis 43. 55. 76. 63. 181. ſ.
Cappadocia 221
Capricornus in nummis 223
CAR. 179
Carcaby 37. 86. 157
Caroli M. nummus 16
Carteron 22. 232. 258
Caſtor & Pollux 190
Ceres 189. 211
Cervus 224
CEYHPIA 125
Chamillard 70
Chriſti nomen & imago in nummis 130. 153. 189
φιλόχειστ@ 142
Cifræ in nummis 100. 102
Chronologia in tractatione nummorum neceſſaria eſt 266
Civitatis Romæ jus 256
Clavum 202
Clypeus votivus 202
Cœleſtini P. R. nummi 14
Colbert 60
Coloniæ 39. 51. ſ. 54. 90. 201. 224. 257. 271. 244. 251. ſſ.
CON. OB. 98
Concha in nummis 223
Conſecratio [illegible] 214. ſ. 206. 141
Conſtantinus M. 75. 141
Conſtantinopolis 206
Conturniati nummi 35. ſ.
Copiæ cornu 200
Coriacei nummi 21
Corinthium æs & Vrbs 26. 27. 222
Coronæ in nummis 182. ſſ. 159. ſ.

Cro-

Crocodilus 224
Crotalum 211
Crucis ſignum 193. 194
Currus 206
de Court 157
Cybele 211

D.

Dacia 220
D. E. quid? 94. 96. 255
DEI Deæque in nummis 61. ſ. 118. vocati Imperatores & eorum Conjuges 136. 132. ſ. 139. coluntur à fœminis 119. ſua habent ſymbola 209. maritimi 209
Delphin 223
Deſpoina 131
Deſpota 130
Diadema 182
Diana 211. 224
Epheſia 211
D. N. C. quid? 129
Domini vox quando cæpit uſurpari? 129

E.

Elagabi nummi 261
Elephantes in nummis 225
phalerati 80
Epheſus 224
Epheſia Diana 211
Epochæ variæ 71. 87. 92
Eqvulei 206
Eqvus 225
Eugenius IV. P. R. 12
Eumenythis 191
Europa 219

F.

Falcner 246
Fauſtinæ nummus 69
Ferrum 30
Figuræ in nummis quid? 76. ſſ.

Flavius

Flavius nomen ominoſum 135. ſ.
Flora 189
Fluminum ſymbola. 218
Fœdera 215. 255
Fœminarum tituli 115. 116. 131. 140. ſſ.
vittæ & ornamenta 181
Fortuna 214
Fridericus II. Imp. 15
Fulmen 195. 201
Furiæ 216

G.

Gæſum 229
Galea 186. 190
Gallia provincia in nummis 229
Galliæ Regum nummi 15. 16
Gallus gallinaceus in nummis 224
de *Ganiere* abaculos collegit 19. 20
Gaza nummorum antiquorum quomodo inſtituenda 265. ſſ. 247. ſſ.
d'Arſchot (*Ducis*) 71. 77. 270
de Brienne 60
Colberti 60
Galliæ Regis Ludovici XIV. 7. 60. 61. 86. 120. 144. 157. 246. 251. 275
de Ganiere 19
S. Genofevæ 232
de Harlay 16
du Molinet 232
de Pamiez (*Epiſcopi*) 78. 86
de Roſtagny 28
de Seignelay 18. 246
de Seves 235. 234
Genius Senatus 189
Geographia in tractatione nummorum neceſſaria 266
Germani 221
Gevartius 270
Globus 49. 50

Gol-

Golzius 49. 50. 51. 58. 83. 269. 273
Gothici Reges 47
nummi quinam vocantur 48
Gothicæ literæ 168
Græciæ hiſtoria ex nummis 49. 50
Gratiæ 216

H.

Harduinus 52. ſſ. 97. 99. 100. 272. 255. 256
de Harlay 15
Harpija 225
Haſta 199
Helena mater Conſtantini 141
Hemelarius 270
Hercules 197
Herodis Antipæ nummus unicus 246
Hippopotamus 224
Hiſpani dicitur Cuniculoſa 219
Hiſpaniæ Regum nummi 15
Hiſpanicæ Linguæ characteres 158
Coloniæ 257
Hiſtoria ad nummos intelligendos eſt neceſſaria 265
Honores in numis 114

I.

Janus Signator monetæ primus 64
Jettons 8. 19
Imperatorum Occid. recentiores nummi 14. 15
Imperatorii nummi. *Vide* Nummi.
Imperii R. diviſio in ſuperius & inferius 6. 7. 59
Indictiones 93
INDVT. III. quid 93
Inſcriptiones nummorum 70. ſſ. 74. ſſ.
His 191. 197
Italia 221
Judæa 220
Judæ qua moneta uſi 153
Julii III. P. R. nummi 13
Juno 191. 210

Jupi-

Jupiter 209
    Lapis 217

K.

ΚΑΒΗΡΙΑ 125

L.

L-L-S. 101
Labarum 194
Lapis Symbolum Deorum 217
Latinitatis jus 256
Lauri ramus 201
Lazius (VVolffgangus) 31
Lectiſternium 218
Legenda nummorum 70. 103. ſſ. 135. ſ.
Legiones 122. ſ.
Leonis exuviæ 187
Liberalitas 213
Libertas 213
Libra 102
Linguæ in nummis uſitatæ 149. ſſ.
    Arabica 156
    Barbaræ 160
    Ebraica 152. ſ.
    Gothica 168
    Græca 151. 162. ſ.
    Hiſpanica 158
    Latina 150. ſ. 164. 166. ſ.
    Punica 158. ſſ.
    Samaritana 153.
    Saracenica 159
Literarum ἀλλοίωσις 163. ſ. 166. ſ. 146
Lucillæ nummi 260. ſſ.
Ludi 203
    publici 124
    ſeculares 79
Ludovicus XIV. R. G. autor ſtudii nummarii in Gallia 7. 8
    ejus vita ex nummis 17

Luckius

Luckius 277
Luna creſcens 196
Lunus Deus 190. 196. 224
Lyra 303

M.

Mabillon (Dom Johann.) 169
Maccabæorum nummi 155
Macedoniæ Regum & provinciæ nummi 37. 219
Manus junctæ 201
Manuſcripta Gothicis literis 168
Mars 190
Mauritania 219
Maximiliani nummi 14. 15
Medaillons 86. 96. 34. 36. 247 ſſ.
Medimnus 190. 203
Meneſtrier 17. 18. 212
Mercurius 190. 224
Meſopotamia 222
Metalla nummorum 20. 32
Mezzabarba 54. 60. 83. 261. 269
M. J. K. quid? 75
Miſſilia 34
Mitra 190. 187
Molinet 10. 232. 157. 230. 277
Moneta, quando inventa 2. 3. 215
ejus ratio priſca 64
valor per notas 101. ſſ.
cudendæ permiſſio 254. ſ.
Monetariorum notæ 32. 34. 66. 98. ſ. 250
officinæ 100
Monogrammata 75. 165
Monumenta publica 118. 78
Morell (Andreas) 25. 35. 99. 125. 129. 155. 173. 272
Moſes an monetæ inventor 23
Mythologia ad tractandos nummos neceſſaria 267

N. Νάξ

N.

Ναύαρχος 194
Navis agitata 203
N. CAPR. 179
Nemeſis 209. 215
Neocores 91
Neptunus 209
Nimbus 188. 184
Nobilis Cæſar 34
Noctua 190
Nomina Vrbium 98
N. PROB. 179
Noriſius 88
N. T. 179
Nummi ſunt vel antiqui vel moderni 3. 4
Æнei 25. ſ. 31. ſ. 37. ſ. 39. ſ.
Corinthiaci 261
Æſtimatio unde? 243. 274
Ætatis mediæ 4
Amuleta 155
Antiqui an optimi? 170
Arabici 156. ſſ.
Argentei 23. ſ. 31
Averſæ partes 63. ſſ.
Aurei 21. ſ. 23. 35. 37. 34. 47
Bigati 66
Coloniarum 251. ſſ.
Combinati 233
Conſulares 269. 6. 55. ſſ-59
Contranotati 178
Conturniati 35. ſ.
Coriacei 21
Dedicati 250. 257
Detriti conſervandi 172
Diffiſſi rima 173. 237
Ebraici 153
Ferrei 30

Ficti 174. 240. 12. ſ. 51. 129. 136. 153. 219. 226. ſſ. 258. ſſ. 228. ſſ. 239. vide & *recentes nummi.*
Fruſtati 172. 176
Gothici 160. ſ. 48
Græci 4. ſſ. 162. ſ. 269. 22
Hiſpanici 158. ſ. 48
cum & absque Imagine 44
Imperii inferioris 41. 6. 7
Imperatorii 269. 6. 59. ſſ.
Inæſtimabiles 245
Inaurati 29
Incruſtati 27. 30
Incuſi 177
Inſcriptiones 70. 103. ſſ.
Integri quinam 169. ſſ.
quomodo Intelligendi 265. ſſ.
Latini 22. 23. 4. ſſ.
absque Legendis 146. ſ.
ex quo Metallo facti 20. ſſ.
mixto metallo 24
Moderni 7. 8. 9. 43. 74. 274. 167. ſ.
Moduli maximi 34. ſ. 36. 37
μοναδικοὶ 245. 246
Multicipites 63. 77
Notati diverſimode 64. ſſ.
Othonum. *vide* O.
Paparum 10. 11. 12. 42
Partes quot? 43. ſ.
Particulares ſ. Præcipui 258
Pelliculati 25. 174. ſſ.
Peregrini 5
Plumbei 28. 29
Pretia quæ? 20. 21. vide *Æſtimatio* & *Inæſtimabiles nummi.*
Punici 158
Quadrigati 66
Quantitas quæ? 33

Rari

Rati 244. 251. 259. 273
Ratiti 66
Recentes quinam? 44. 42. 28. 12. *Vide Ficti nummi.*
Reſtituti 146. 11. 12
Saucées 24. ſ.
Serrati 174. ſſ.
Subærati 25
eorum ſymbola & ornamenta 180. ſ.
Tincti 24
Victoriati 66
Virorum illuſtrium 19. 67
Votivi 126. ſ
Vrbium 5. 49. 53. 55
a quibus pertractati 267

O.

Occo 54. 59. ſ. 83. 133. 269
Officiorum nomina 144
epochæ 89
notæ 108
Oiſelius (Jacobus) 83. ſſ. 270
Omen ex nomine 135
Ὁμόνοια 215. 255
Oſiris 191
Ottonum nummi 20. 21. 242. 244. ſ. 246

P.

Pacatianus Tyrannus 69. 70
Paduanus 170. 227. 232. 258. 260
Palatinus (Joh. Baptiſta) 159
Pallas 190
de *Pamiez* (Epiſcopus) 86. 78. 159
Pannonia 221
Pantheon 192
Parazonium 207
Parmeſanus 170. 227. 228. 232
Patera 199
Parthia 221

Patinus (Carolus) 22. 57. 60. 186. 239. 269. 270
Patina (filia) 81
Pauli III. P. R. nummus 13
Pavo 223
Pax 212
Pecunia unde dicta 64
Pegaſus 222
Permiſſu Auguſti 97
Petaſus 190
Petavius (Dionyſius) p67
Pietas 213
φιλόχρειστος 142
Phœnix 80. 223
Phrygum mitra 187. 180
Piſanus 42
Planetarum ſigilla 155
Plinius illuſtratus 52
Plumbei nummi 28
Pontificalis ſupellex 204
Pontificum R. nummi 10. 11. 12. 14
Πορφυρογέννητος 131. ſ.
Potin quid? 24
La Poverta contenta 170
Princeps Juventutis 134
Providentia 212. deorum 190
Provinciarum ſymbola 218
P. T. 98
Pudicitia 214
Puncta in nummis 101

Q.

Q. 102
Quadrans 102

R.

Rex Romanorum in Imp. Inf. 129
Reges Ægypti 37. 47
Franciæ 48
Galliæ 15. 16. ſ.

Gothorum 47. 160. ſ.
Hiſpaniæ 15
Macedoniæ 37. 47
Syriæ 37. 46
Vandalorum 161
aliarum gentium 47
Regum epochæ 89
Series in nummis 45
Res geſtæ in nummis 109. 111. 117
REST. 146
Reſtituti nummi. *Vide* nummi.
Rigordus 246
R. M. 179
Rota 209

S.

S. 108
Sacerdotum corona 185
Saladini nummus 157. ſ.
Sanitatis deus. *Vide* Æſculapius. 190
Saturnus an primus monetæ ſignator? 65
Savot 27. 33
S. C. quid? 94. ſſ. 248. ſſ. 255
Sceptrum 193. 199. 207
Scipionum nummi ficti 262
de *Seignelay* 18. 246
Seguinus 263
Securitas 214
Sella Curulis 205
Semper Auguſtus 141
Senior 135
Serapis 190
Series nummorum quomodo inſtituenda? 10-17. 33. ſſ. 45. 276
Serpens 224
de *Sevet* 234. 255
Sextans 101
Seydius 219

Sicilia 220
Sicli 153
Signa militaria. *Vide* Vexillum. 122
SISPZ. 101
Sixtus IV. P. R. 11
S. M. A. 98
Sol 190. 217
Spanhemius (Ezechiel) 125. 81. 268
S. P. Q. R. 97
Spes 192
Sphinx 225
S. R. quid? 255
Stella in nummis 261. 217
Strada (Octavianus) 14. 15. 136
deorum 209
Symbola nummorum 180
parvula in nummis 99
urbium 222
Sympulum 203
Syriæ Reges ex nummis 37

T.

Taliſmanni 155
Teleſphorus 190
ΘΕΟΓΑΜΙΑ 125
Termini 214
Theodoſii Imp. nummus fictus 14
Thiara 187
Thoraces 193
Thyrſus 201
Tituli Principum 114. ſſ. 127. ſ. 129. ſſ. 138. ſſ.
Toynardus 90
Triens 101
Tripus 207
Triſtanus de S. Amand 86. 271
Tubal Cain an nummos invenerit? 2
Turris 206
Typotius (Jacobus) 277

Tyrus

Tyrus 223

V.

V. 101
Vaillant (Joh.) 37. 46. 47. 54. 88. 97. 99. 173. 260. 271. 244. ſſ. 252. 255. 274
du *Val* 17
Valerianorum nummi 263
Velum 188
Venerabilis 140. ſ.
Venus 212. 217
Vernis. *Vide* Ærugo. 171
Veſta 213
Vexillum 122. 170. 201. 204
Victoria in nummis 112
Vindicta 213
Virtutes in nummis 113
Vittæ fœminarum 181
VN. MR. 141
Vota 72. 73. 125. ſ.
Votivi nummi 126
Vrbes neocores 91
Vrbium epochæ 87. 92
 legenda 120. ſſ.
 nomina 98
 nummi 5. 49. 53. 55
 ſymbola 222
Vrna 203
Vrſatus (Sertorius) 273
Vrſinus (Fulvius) 57. 269
Vua 203
Vulcauus 190. 197

X.

X. quid? 101

Z.

Zodiacus 207

EMENDANDA.

P. 8. *lin.* 10. poſt: *monſtrari*, adde *quomodo. p.* 28. *lin.* 23. pro: *alio die*, lege: *alias quoque. p.* 38. *lin.* 2. pro *quæ l. qui. p.* 55. *lin.* 20. pro *amatæ*, *l. armatæ. p.* 88. *lin.* 24. pro *anuni*, *l. anni. p.* 93. *lin. penult.* pro *arbitro*, *l. arbitror. p.* 109. *lin.* 19. pro *ipſius l. ipſis. p.* 124. *lin.* 7. poſt *moduli*, adde: *nummis. p.* 139. *lin.* 18. pro *ab*, *l. ob. p.* 159. *lin.* 2. pro *factā l. facti. p.* 169. *lin.* 3. poſt *Dom.* dele. *p.* 171. *lin.* 2. pro *ceu l. ſeu. p.* 217. *lin.* 8. pro *qui l. quæ. p.* 225. *lin.* 1. pro *Phinx*, *l. Sphinx. p.* 229. *lin.* 16. pro *tam*, *l. tum. p.* 231. *lin.* 15. pro *ſigniuo*, *l. ſignino. p.* 238. *lin.* 23. pro *etim l. enim. p.* 250. *lin.* 1. *definita*, *l. definito. p.* 261. *lin.* 22. pro *habitus*, *l. habitu.*

Quæ præterea forte occurrent, leviora ſunt, nec ſenſum valde turbant.